SPECULUM

CONSILIORUM HISPANICORUM

IN QUO

REGIS HISPANIARUM

MACHINATIONES VARIAE CONTRA Evangelicos pro novâ Monarchiâ fundanda, à diverſis authoribus, tanquam in tabellâ repræſentantur:



Productum in lucem

à

J. M.


SUASU ET HORTATU VIRORUM MAGNORUM, UT DORMIENTES SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGES, Principes Imperijq; Proceres, qui Pontificis Romani tyrannicum jugum excuſſerunt, ab altiſſimo ſomno tandem expergerentur, eorumq; oculi ad contemplationem periculoſi hujus temporis ſtatus aperirentur.



LUGDUNI ANNO 1626. Typis exſcriptum.



J. M.
LECTORI
BENIGNO AC
CANDIDO
Cum debitâ honoris Præfatione.
S.




Quo tempore ſtudijs, quæ momenti majoris ſeriaque tractandis, animum adplicare cæpi, nihil mihi adeò votivum fuit, quam pro virili invigilare communi utilitati, ne quid profuturum ſæculo lateret. Nulla enim ego meliore ratione, qui ſolis ita literarum virtûtumq; diſciplinis addictus, ut ijs ætatis omne curriculum, (qualiſcunque etiam fortuna conatus meos excipiet) juvandis & illuſtrandis impendere conſtituerim, talenti mei uſuram, approbare me poſſe illi, qui ſortem credidit exiſtimo; quam omnis

ævi optimis authoribus è tenebris eruendis, à blattis tineisq́; vindicandis & situ depravatis recensendis. Hinc varia mihi, non in uno genere, sed in Encyclopædia scientiarum, scripta egregia, undiq; collecta, quæ propediem faventibus superis, commodo Reip. literariæ prodibunt. In præsentiarum vero, cum librarium meum censum lustrarem, ejusq; bonitatem periclitarer, judicio ac suasu virorum magnorum, nihil quidpiam afflicto hoc Europæ statu, imminentibusq́; toti Christianitati periculis, publicari à me valuit utilius, quam tres hi de Machinationibus Hispanicis, nunquam quod sciam hactenus typis vulgati libelli. Apprimè enim interest, ut Hispani contra Evangelicos Consilia, pro novâ Monarchia fundanda detegantur & innotescant, eisq; maturè justis ac valentibus remedijs obviam eatur: nos tandem simus armati intentiq;, nec nostram occasionem negligamus, nec suam hosti demus. Nam serum est cavendi tempus in medijs malis. Et uti vix quidpiam in rebus humanis laudabilius, quam occasione rectè uti; ita in bello maximè. Vbi bis peccare non conceditur, ampliusque illa haud

haud raro opitulari solet, quam virtus. In calce IONAE HENRICSONI Dithmarsi ornatissimi Relationem de ratione & via Regiones septentrionales ad observantiam sedis Romanæ reducendi, adjeci. A paucis enim visa, ac in politicis imperialibus, à Philologo ac IC. celeberrimo MELCHIORE GOLDASTO, cui diversos hujus argumenti tractatus, insigni patriæ emolumento debemus, omissa. Addidissem commentatores ejusdē notæ alios, ni opinione mea citius, nundinæ Francofurtenses appropinquassent. Quo enim fine hęc talia in lucē mittantur, & remittantur, nôrunt prudentes. Tu quisquis es Zoile, qui maledictis aleris, non secus ac capreæ venenis, noli è publico agro fruges alijs profuturas, tibi licet injucundas exstirpare, nì forte ad hoc insaniæ fastigium evectus, tantum tibi ut cæteros omnes natos arbitreris. Ipse in orationis honestate atq; elegantiâ, non parùm desidero. Cogitabit vero LECTOR BENIGNUS, ab alijs rerum, ab alijs verborum doctrinam quæri, materiam esse probam, quanquam non ubivis, usq; quaque probos invenerit fabros. Universę mensæ regiæ vasa, non sunt antiqui operis, vel omnia aulæa

principum Arachnea. Multa olim & Alexandri signa, non Polycleti manu, tabulæve Apellis curâ, elaborata fuêre. In Typographicos labores mendæ quam plurimæ me absente irrepserunt, sed ijs etiam candor tuus vel ante meas preces facile veniam largietur. Non enim quæ tua est humanitas permittes, ut fama mea alienam incuriam luere cogatur. Effatum vetus verissimum reperio, oculos & vestigia domini fundo esse saluberrima. Brevi tibi, Deo auspice, comite vita, si prævium hoc nostrum opusculum tibi non displicuisse edoctus fuero, producam alia majora, teq; & me digniora. Bene ac feliciter vale, meque & meos conatus amore & favore tuo dignare.



ELEN-

ELENCHUS AUTHORUM.

Ionæ

IV.

Ionæ HenricſonI, Dithmarſi, Relatio de ratione & via Regiones ſeptentrionales ad cultum ſedis Romanæ reducendi, p. 107.

Item cauſæ, propter quas Daniæ ſuſpecta eſſe debet Regnorum Poloniæ & Suetiæ conjunctio.



AD
POTENTISSIMOS,
AC SERENISSIMOS

REGES PRINCIPES RELIQVOSQVE AMPLISSIMOS CHRISTIANI ORBIS ORDINES.

Seria de Reipub: Christianæ statu, ejusq; salute atq; incolumitate conservanda,

Germani cujusdam Nobilis & Patriæ amantis Viri

COMMONEFACTIO.





AD
POTENTISSIMOS,
AC SERENISSIMOS

REGES PRINCIPES RELIQVOSQVE AMPLIS: CHRISTIANI ORBIS ORDINES,

Seria de Reipub: Christianæ statu, ejusq; salute atq; incolumitate conservanda,

Germani cujusdam Nobilis & Patriæ amantis Viri

COMMONEFACTIO.



Vod si quam in alienis rebus rationibusque Iudicij stateram adhibemus, ad eandem nostra ipsi consilia, nostrasq; omneis actiones appenderemus, & certius omnis nobis vitæ ratio institueretur, & omnino infinitæ, tum privatæ calamitates averterentur. Alienorum enim vel periculorum, vel cladium exemplis, quasi optimis & certissimis vitæ ducibus ac Magistris, ad res omnes & instituendas & per-

& perficiendas uteremur. Quod quidem sapientiæ genus uti tutissimum ita suavissimum esse nemo unquam sanus dubitavit. Sed ferè fit, ut in rebus nostris dijudicandis constituendisq; vel cupiditate, vel metu, vel alia quapiam animi ægritudine præpediti, quod ante pedes est, quodq; cervicibus jamjam imminet, haud antè cernamus quam ipsa calamitate obruti, repentino interitu, tarditatis ac stultitiæ pænas luerimus. Itaq; & si de aliorum exemplis prudenter sæpe judicamus, cum tamen idem se nobis devitandum periculum offert, quia vel rei magnitudine, vel ancipitis eventus formidine perterriti, & dum alij sese moveant circumspectantes, moras inutiles nectimus, & alias nos periculi propulsandi rationes habituros speramus, occasionis opportunitate è manibus elapsa, omnis illa speciosa sapientia, quæ in alieni periculi exemplo intuendo versatur, inanis prorsus atque infructuosa nobis abit.

Nulla quidem unquam vel Respub. vel civi-

tas, ac ne civis quidem ullus aut bonus, aut fortis extitit, qui non censeret, in moderato potentiorum vicinorum imperio salutem suam, ac libertatis vitæq; incolumitatem omnem consistere. Neq; quicquam suâ tantopere interesse, quam illos ipsos vicinos justitia & moderatione animi imperium administrantes, suis se finibus, quasi quibusdam repagulis, continere. Est enim in omnibus quidem ambitio periculosa, sed in illis certè vel omnium maximè, qui quantumvis vastis imperij sui finibus, regnandi cupiditatem nequeunt terminare. Quia cum Imperiorum mutatio sine tristissimę vicissitudinis squalore, atq́ue omnium rerum perturbatione vix unquam possit existere, necesse est, ut quæcunq; illis adjacent regiones, vel longissimo etiam remotæ intervallo, immoderatæ hujus ambitionis fluctibus agitatæ, funesto tantum interitus atq; omnium calamitatum gurgite involvantur. Sed quemadmodum oceani vel gravissima tempestate tumefacti ac redundantes fluctus, objecto proximo aggere, vicinis atq; accolis omnem industriam, laborem, ac

vigi-

vigilantiam, uno animo, unoq; opere per initia adhibentibus possunt haud ægerrime cohiberi, postea vero quam uno atq; altero aggere perrupto, in campos atq; arva se longè lateq; effuderint, nulla neq; vi, neq; industria humana prohibentur, quin certam atq; inevitabilem, non modò innumerabilibus hominum ac pecudum catervis, sed totis etiam oppidis latissimisq; sępè ditionibus ac regnis perniciem adferant: Ita planè quæ latè suos fines producunt imperia, si unanimi vicinorum populorum consensu, quasi proximo aggere suis regionibus per initia cohibeantur, vix est ut gravem aliquam aut memorabilē cuiquam cladem inferre possint. Sin autem perruptis finitimorum unis aut alteris claustris & imperij prolatandi dulcedine semel animos deliniverint ac sui nominis terrorem reliquis etiam injectum senserint, nulla certè tanta vis est, nullum tam vastum aut violentum repagulum, quo furentes isti ambitionis impetus queant amplius coërceri. Quod quicunq; post homines natos viri sapientes perspexerunt (perspexerunt autem omnes, qui quidē

 pru-

prudentiam ad res gerendas adhibendam esse rati sunt) ij semper statuerunt, boni atq; patriæ amantis civis maximè autem Principis esse, diligenter ac maturè providere, non modò ut in sua Repub: benè beateq; suis civibus ac populis esset, sed etiam ne qui finitimi vel Reges vel populi in vicinorum sedes, quacunq; tandem obtenta justitiæ specie ac prætextu, per vim irrumperent, regnive cupiditate allecti, suos fines in vicinorum ditionẽ ambitiosè propagarent. Hinc olim Romani Carthaginensiũ crescentem potentiam, missis auxiliaribus copijs, quæ Mamertinos obsidione liberarent, & Hispaniam ab Afrorum servitute vindicarent, omninò sibi putarunt esse imminuendam. Hinc Antiochũ Epiphanem, tutelæ specie, AEgypto inhiantem suis finibus ac regionibus circumscripserunt, neq; nunquam alicujus vel Regis, vel populi potentiam in immensum crescere passi sunt. Hinc etiam nostra, majorumque nostrorum ætate Venetorũ illa eximia sapientiæ laus ac prædicatio extitit: qui cũ se haud temere ad bellum suscipiendum commovere un-

quam

quam ſoleant, ita tamen ſua conſilia ſemper temperârunt, ut ſi quando vicinos, vel populos, vel principes, cernerent, immoderato ambitionis impetu in vicinos vim intentare, ſua ſemper arma infirmioribus præſidio eſſe voluerint: ut tanquam in trutina liberatis populorum ac Principum Italiæ viribus, nemo exiſteret, qui ſe Venetam Rempub: ſperaret armis poſſe opprimere. Quod quidē conſtans ac perpetuū eorū inſtitutum inter multa alia præclara vel præcipuum habetur, quod illam Rempub: non modò jam ad mille & amplius annos florentem conſervârit, ſed omni etiam virtutis ac ſapientiæ laude apud exteras omnes gentes cumulatam atq; admirabilem reddiderit.

Atq; hoc quidem exemplum Laurentius Medices vir ſua ætate omnium in Italia ſapientiſſimus, ſummo ſtudio atq; induſtria ita ſecutus fertur, ut alta Italiæ pax & beatiſſima tranquillitas, illa ætate, ejus unius prudentiæ, omnium propè ſcriptorum calculo tribuatur, propterea quod tū ſuis conſilijs tum Reipub: Florentinæ, in qua clavum tenebat, armis atq; auxilijs omnium Italiæ

Prin-

Principum cupiditates ita frenabat, ut si quis extra suos fines, ambitionis ruẽs impetu, quicquam tentâsset, ille continuò reliquorum principum ac populorum armis & autoritate coërceretur. Atq; hoc quidem certè nemo est, qui non videat, sentiat, statuat, nemoq; qui non eos populos graviter incuset, & verò etiam proditæ patriæ reos peragat, qui vel metu perterriti, vel ignavia fracti, vel otij & quietis suavitate illecti, vel tarditate & quasi quodam veterno consepulti, vel deniq; civilib9 ac domesticis contentionibus implicati, finitimorum regum & populorum ambitiosa imperia, per socordiam ita passi sunt propagari, ut cum postea eorundem vim atq; impetum sustinere non possent, tristissima calamitate ac pernitie & se & patriam suam involutam cernere coacti sint. Ecquis enim est nostrum, qui non censeat, veteres olim Gallos, si unanimi omnes consensu, Iulij Cæsaris arma initio repulissent, Rempub: â Romanorum servitute liberam nullo negotio tenere potuisse? Sed dum alij vicinorum ærumnæ atq; interitus otiosos se præbent spectatores, alij suis etiam armis

mis atq; auxilijs potentiam Romanam corroborant, perbrevi tempore eò res adducta est, ut amplissimum illud potentissimumq; imperium in provincias redactum, turpi servitute penitus fuerit oppressum.

Quid Italia ipsa? Si adolescentem Romanorũ potentiam sub initia communibus armis ac viribus cohibuissent, neque passi essent sigillatim Antiates, Crustuminos, Ceninenses, Latinos, mox etiam Volscos, AEquos, Sabinos, atq; inde porrò Samnites Vmbros, Brutios, Hetruscos, aliosq; singulos per se populos sub jugum venire, an non & suam libertatẽ tutati essent, & reliquos Europæ populos â fœdæ servitutis capistro vindicâssent? Et tamen, vix quisquam illorum est exemplis factus sapientior. Et dum omnes de alijs quidem rectè judicârunt, nemo est qui suis temporibus Iudicij illius fructum ad se potuit traducere.

Atq; ita post Italiam, Sicilia, mox Africa atq; in de porrò omnis Asia, & propè universus terrarum orbis, sævissimo Romanorum jugo subacta,

socordię atq; stultitiæ pœnas dedit. Eadē penitus vel væcordia vel stupore Christianorum Principum animi olim occupati, Saracenorum genti atq; imperio eas opportunitates dedère, quæ florentissimas totius Asiæ, Africæ, atq; AEgypti Ecclesias funesto Mahometicæ servitutis jugo turpiter oppressas, â vera cœlestis doctrinæ cognitione penitus abalienârunt.

Quorum tyrannidem excepit crudele Ottomannorum Imperium, quod quidem ex minimis & plane contemnendis ortum initijs, paulò momento ita mirabiliter excrevit, ut jam non Asiæ aut Africæ regna, sed ipsius Europæ penitissima viscera pervaserit, vastarit, everterit.

Atqui nemo non videt, ipsos Christiani orbis Principes ac populos, dum vel domesticis dissidijs inter se implicati, vel ignaviâ perterriti, vel ambitione ardentes, vicinorum cladem ad se minimè putant pertinere, satis sibi quisq; virium fore rati, ad gladios Turcarū â suis finibus depellendos, illorum feritati & spacium temporis & opportunitatem eam dedisse, quam ne ipsi quidem vix unquam

quam optare, ſperare certè nunquam auſi fuiſſet. Quo quidem incendio, niſi Germaniæ dulciſſimę noſtræ patriæ virtus obſtitiſſet, quæ communi conſilio atq; imperij decreto, vires ſuas ac vectigalia conjungenda eſſe putavit, ut quoties neceſſe eſſet, Ottomannicam illam potentiam, vel ſuo certo periculo cohiberent, jam pridē orbis Chriſtianus univerſus conflagrâſſet.

Eadem illa Germaniæ virtus olim ſe Romanis armis ſola objecit. Cum enim reliqui & Europæ, & Africæ, atq; Aſię inde uſq; ad Perſas & Parthos ferè omneis populi, ea quam diximus imprudentia, jugum illorum admiſiſſent: Soli Germani conjunctis viribus, eorum potentiam multis prælijs fregerunt, & ſæpe victores, ſæpe etiam victi, ita ſemper vires reparârunt, ut oblata tandem per civiles Imperij Romani diſſenſiones occaſione, ipſi etiam ex Germania magnis exercitibus comparatis, in Romanorum ditiones undiquaque irrumperent, & eos qui alijs ante gentibus imperârant, non modò ſub Germani Imperij jugum ire docuerunt, ſed propè ad internecionem

etiam deleverunt. Quæ certè virtus, nullis laudibus, nulla prædicatione, ſatis poterit unquam celebrari.

Sed quo major ac præclarior illa fuit Majorũ noſtrorum virtus, eo majori cum admiratione ac dolore, boni omnes ingemiſcunt, nos jam ab avita illa fortitudine degeneres, tacitos, otioſos, ac ſecuros cernere ac pati Hiſpanorum ſuperbum & crudele jugũ, prope jam univerſo terrarũ orbi impoſitũ, etiam nobis poſteriſq; noſtris imminere.

Nolo equidem, vel gentes, vel principes inter ſe comparando, nomini cujuspiam invidiam excitare. Omnis enim ſervitus & gravis, & viro indigna eſt. At vero Hiſpanorum ſervitus, quos jam nuper à Mauris & Saracenis ortos, ſæviſſimæ Inquiſitionis terror ad Chriſtiani nominis confeſſionem, invitos atq; obſtinatè reluctantes, per vim coëgit, an Turcarum ſervitute tolerabilior cenſeri poſſit, haud facilè pronunciaverim. Eſto penes Granatenſes, penes Indos, penes Neapolitanos hoc judicium.

Illud certè conſtat, Romanorũ jugum, & ſi prop-

propter inexplebilē Imperatorū ac militum avaritiam (quorū hybernis plures ſociorum civitates deletæ traduntur, quam armis hoſtium urbes) gentibus eſſet intolerabile, tamen ob multas præclaras populi illius virtutes, ſi cum Hiſpanorum ſuperbia, crudelitate, avaritia conferantur, ſervitutem illam libertatis, obediêntiam imperij nomine meritò cenſeri potuiſſe. Sed quoquo modo ſe hæc habeat, illud certè exploratum eſt, niſi maturè provideatur, & communi atq; unanimi reliquorū Regum ac Principum conſilio, Hiſpanorum conatus atq; animi frangantur, propediē fore, ut eorum viribus per communē ſocordiam in immenſum auctis, ſerò & fruſtra ſe ſint objecturi, qui commune hoc Chriſtiani orbis incendium ad ſe nihil dum putant, pertinere: ac proindè, rati ſe, ſi quid in ſuis finibus tentetur, facilè vim omnē eſſe domeſticis armis propulſaturos, vicinorum Belgarum cladem imminentē otioſè ſpectant: Neq; vident hac ſua ſocordia Hiſpanicæ ambitionis ac ſuperbiæ flammas accenſas, ea capere incrementa, quibus poſt, & ipſorum tecta

 & uni-

& universi orbis Christiani omnes provinciæ ditiones, ac regna brevi sint conflagratura. Neq; enim est, quod quis existimet Brabantiæ, Flandriæ, aut Hollandiæ regionibus, hujus incendij faces compressas, posse coërceri, cujus jam non scintillæ, sed ardentes flammæ, non modo Italiam, sed Galliam, Angliam, Scotiam, & Germaniam ipsam, atq; universum denique terrarũ orbem, longè lateq; pervagatæ incenderunt. Atqui ne Hispani quidẽ ipsi dissimulant, orbis terrarũ Monarchiam fata sibi deberi: utpote quorũ virtus ac fortitudo novum, atq; ante incognitũ terrarum orbẽ, armis subactum, legibus atq; institutis ornârit, moribus ac disciplina expoliverit, & Catholica deniq; ac Romana religione imbuerit. Sui esse muneris prædicant, constituta Monarchia, reliquos Christiani orbis populos ad eandẽ fidem ac disciplinam adducere, & omnes de religione controversias, nominis sui atq; Imperij terrore, armorũq; virtute componere. Hæ illi non modò palàm dictitant, quotidianisq; sermonibus usurpant, sed re ipsa, & omniũ consiliorũ, actionum,

num, rationũ, rerumq́; geſtarũ certiſſimis atque indubitatis indicijs apertè confirmant. Nihil enim aliud agunt, nihil ſpectant, nihil cogitant, quam ut ſubactis ſemel Belgij populis, ſedem ibi belli ſtatuant, unde quam minimo negotio, & in Germaniam, & in Angliam, & in Galliam, quoties adlibuerit perrumpant. Et primũ quidẽ in eos ſupplicium ſtatuant, quos ſuis ſtudijs minus fuiſſe faventes, vel levi ſuſpicione judicabunt: Atq́; inde porrò reliquis Chriſtiani orbis Regibus ac populis, quodcunq́; videbitur pro libidine imperent, & ſi qui dicto minus erunt audientes, eos à finitimis deſertos, & hoſtili manu undiq́; cinctos, infeſtis armis opprimant, & ſub jugum ſervitutis mittant. Eò ſua omnia conſilia, rationes, conatus, jam indè uſq́; intenderunt, ex quo oppreſſa armis Italia, non modò in Germaniam, Religionis inſtaurandæ prætextu, fecere impetum, ſed etiam orbis Chriſtiani Monarchiam omnem ſibi ſubijcere tentârunt.

Quod quidem ut perſpicuè intelligatur, operæ pretium erit, nos hic vobis, Potentiſſimi ac Sere-

nissimi orbis Christiani Reges, Principes atq; ordines Amplissimi, Hispanicorũ, consiliorũ, institutorum atq; actionum omnium seriẽ, inde usq; â primis initijs ad hæc tempora, ordine ac breviter explicare: ex qua mens eorũ atq; animus, & spes omnis atq; institutũ perspicuè elucescat: Vt ita communi malo, communibus consilijs remedium opportunum maturè quæratur.

In quo nihil equidẽ dicam, nisi quod in omnium oculis positum, & quasi in quodam amplissimo orbis theatro gestũ, nemini poterit esse obscurũ. Quod quidem ego dum vobis ab oculos pono, Viri Principes, quæso, paulisper attendite, atq; animum ab omni præjudicata opinione ad cognoscendam rei veritatem, diligenter ad vertite.

Postquam itaq; gens Hispanica Ferdinandi virtute Maurorũ jugo liberata, longoq; armorũ usu atq; exercitatione roborata, reliquis se gentibus ac populis bellica laude, vel superiores, vel certè pares esse posse statuerunt, continuò ad occupandam Italiam animũ adjecerunt: præsertim

cum

cum ab Arragonijs, qui olim ex Hiſpania oriundi ſedes ſuas Neapoli fixerant, ad ſubſidium contra Gallos vocati, florentiſſimę ditionis ampliſſimam ubertatem, atq; omnium rerum redundantem copiam oculis & animo luſtraſſent: & jam Siciliam Inſulam ad importandos commeatus, trajiciendaſq; militum copias, & ad omnia deniq; belli gerendi ſuſtentandiq; præſidis longè oportuniſſimam, Gallis etiam multò antè tempore ereptam tenerent. Itaq; deſerta ejectaq; Alfonſi ſtirpe, cum Gallo fœdus ineunt, & de repartienda inter ſe univerſa provincia paciſcuntur. Ex quo cum Gallos ad belli procurationem ſegniores cunctantioreſque factos viderent, orta de finibus contentione, acriùs bellum inſtaurant, ita tamen ut non multò poſt, opera Philippi Archiducis (cui filia nupſerat Ferdinandi) pacis novæ conditiones propoſitæ ſancirentur, quo ſtratagemate Gallicis ſubſidijs quæ jam in procinctu erant, remoratis, â Conſalvo reliquiæ Gallici exercitus ad Garighanum flumen penitus cæſæ fuere ac profligatæ, atq; ita Gallis omnibus Neopolitano regno procul ejectis,

 Hiſpa-

Hiſpani oportuniſsmam belli ſedē, ex qua Italiæ toti imperarent, collocatis præſidijs, & ſubſtructis arcibus ac munitionibus occupant, Cumq; jam idē ferè tempus, authoritate Pontificis Romani, Vaſtiſſimis illis Indiarum regionibus inter Luſitanos & Caſtelanos repartitis, univerſam Americam, atq; Indię occidentalis ampliſſimū complexum, admirabili & nunquam ante audita crudelitate vaſtatum, imperio ſuo ſubjeciſſent, & ſimul inferioris Germaniæ, quę Belgicam Galliam attingit, Principes ac ditiones affinitatis neceſſitudine ſibi conjunxiſſent, rati jam ſe habere ærarium unde belli gerendi facultates depromerent, partim propter auri atq; aromatū incredibilem copiam, quæ ex Indicis navigationibus in ſingulos propè annos advehebatur, partim ob merciū innumerabilem tranſvectationem, quæ à Belgicis ac Batavicis mercatoribus ac naviculatoribus cū Hiſpanicjs inſtituta, vectigalia mirificè auxerat, ad reliquam Italiam ſibi ſubjugandam animum adjecerunt, ac proinde in Subriam univerſam, feraciſſimam certè ac florentiſſimam Italiæ partē, ſub

ſpecie auxilij Sforziæ ferendi, Gallis ereptam, mox etiam Sforzia oppreſſo occupatam Hiſpanicis præſidijs firmârunt. Florentiæ, Senæ, Piſæ, atque adeo Vniverſæ Hetruriæ ſtatum commutârunt, impoſito illis Duce, quem ſuis partibus ac ſtudijs addictū novant. Parmam & Placentiam arcibus & præſidiò firmârunt, Genuam, Liguſtici Maris portum factionibus ac diſſidijs domeſticis agitatam, confirmata Dorijs authoritate atq; imperio, ſibi addixerunt.

Deniq; varijs artibus Vniverſam propè Italiam ſibi addixerunt; extremos certè illius utrinq; fines penitus mancipârunt. Et necdum ſatiata regnandi cupiditate, cū multos etiamnū reſtare principes ac populos interjectos cernerent, qui non modo ipſi eſſent Hiſpanę gentis imperiū detrectaturi, ſed alijs jam ſubactis populis, Vindicias ad libertatē fortaſſe etiam daturi, putârunt eâdem ſibi via propulſandum hunc eſſe metum, quam pridem ante in ipſis Hiſpaniæ viſceribus ad liberrimam Arragoniorum gentem penitus edomandam tenuerant, cum nimirū, injecto inquiſitiouis fræno,

 & pro-

& proceres atq; ordines in regni Comitijs libertate suffragiorũ spoliarunt, & provinciam omnem insignibus immunitatũ præsidijs atq; ornamentis nudarunt, & populum deniq; universum acerbissimo tyrannidis terrore oppresserunt.

Itaq; omni studio & contentione primũ Neapolitanis, mox Mediolanensibus & Siculis, alijsq; finitimis gentibus. Inquisitionem, religionis catholicæ tuendæ prætextu obtrudunt. Sed cum generosis animis obfirmatè obsistentibus minùs id succederet ex sententia, suppresso ad tempus Inquisitionis nomine, alias ad perficiendum institutum technas conquirunt. Iungit se Rex Philippus arctissima fœderis necessitudine cum Pontifice Romano, cujus & imperium est amplum in Italia, & authoritas apud omnes sacrosancta. Ei se spondet religionem Catholicam Romanam non modò sartam tectam in suis ditionibus tueri, sed in alienis etiam velle studiosè instaurare: & se fæderis contra Lutheranos initi principem profitetur: hac ratione & Hispanici imperij invidiam elevari, & Italos principes in fæderis societatem

par-

partim ſtudio partim metu adſcitos, arctius devinciri poſſe ſperat. Acceſſit Ieſuitarum creſcens paſſim ſub idem tempus authoritas ac potentia. His enim uſi corycæis atq; exploratoribus, ſeu Inquiſitionis familiaribus non modò in ſingulas principum ditiones, ſed in ipſa etiam tecta & penetralia viam ſibi patefaciũt, eorumq; animos tũ pietatis exiſtimatione ac religionis reverentia, tũ fulminũ Pontificiorũ metu, à rerum novandarũ ſtudio abſterritos, in officio retinent, & alteros alteris inter ſe inviſos ac ſuſpectos reddunt.

Eorundemq́; opera atq; ambitione muneribus ac prębendis Eccleſiaſticis ex uſu ac re ſua in quos velint repartitis, Hiſpanici nominis potentiam ac terrorem mirificè ſtabiliunt. Ita nuper Venetam Remp: tum ſubmiſſis Inquiſitoribus; tum injecta de Aquilegiano patriarchatu cui velint decernendo controverſia, paulatim ſibi addicere tentaverunt, & jam pridem reliquos propè omnes Italiæ principes, & verò etiam eos qui genti Hiſpanicæ paulò viderentur infenſiores, his artibus edomitos, quàm obſequentiſſimos ſibi reddidere,

 Ea-

Eâdem porrò regnandi cupiditate ardentes, iiſdemq́; confiſi ſtratagematis, jam olim, cum Carolo Quinto Electorum ſuffragijs Germanici Imperij moles eſſet impoſita, primum quidē Galliæ regnum infeſtis ex Belgij armis & ſæpè & graviter divexârunt, mox vero in ipſa Germaniæ ſuperioris intima viſcera, religionis Pontificiæ inſtaurandæ prætextu, impetū fecerunt, victiſq́; prælio proteſtantiū Ducibus, de illa undiquaq́; occupanda, & ſuę dominationis jugo ſubjuganda ſeriò cogitârunt, ac proindè munitiſſimas quaſq́; arces atq́; oppida in ipſo Germaniæ umbilico Hiſpanico pręſidio communierunt. Sed cū neq́; eorū ambitioſiſſimis ſtudijs Caroli Imperatoris æquitas ſatis reſponderet, neq́; ea quæ occupârant loca, & longo remota intervallo ab Hiſpanicjs, & fortib⁹ undiq; ac bellicoſis cincta gentibus, diu ſe poſſe tenere animadverterent, & jam ſingulari Mauritij virtute atq; armis inde pulſi, Superiorem omnē Germaniam relinquere cogerentur, & in Callia jam ſæpius renovata bella optato ſucceſſu carere cernerent, optimam quidē illam, quam certa ſpe

devo-

devorârant, prædam è faucibus ſibi ereptam graviter ferentes, pauliſper ſubſtiterunt, donec poſt Caroli Quinti ex Belgio diſceſſum, ambitioſo, ſuperbo, & verè Hiſpanico Philippi Regis ingenio ad ſuas cupiditates abuſi, alia ſibi via, quod pridē inſtituerant, aggrediendum decreverunt.

Animadverterant enim ſe neq; in Germaniam, neq; in Galliam, poſſe quoties adlibuiſſet exercitū ducere: Et ſi pòſt duxiſſent, commeatum ac belli gerendi facultates primo quoq; die defuturas, niſi occupatis, & in ſuam poteſtatē redactis Hollandiæ ac Zelandiæ portibus, conſtitutoq́; in reliquis Belgij provincijs Hiſpanico præſidio, ac impetratis quibus opus eſſet ſtipendijs, & belli quoties vellent inferendi, & ejuſdem quam diu videretur ſuſtentandi, prorogandiq́; ſedem oportunam delegiſſent. Cum autem ſe id ſalvis gentis Legibus atq́; immunitatibus ægrè poſſe impetrare viderent, propterea quod ex illarū ſanctionib9 exteris gentibus excluſis, omnis Reip: adminiſtratio penes indigenas eſſet, & nulla civitatib9, vel vectigalia, vel prædia, niſi ex Ordinū conſenſu imponi poſſent,

omnino

omnino ſtatuerunt antequam ulterius Imperij ac dominationis limites propagarent, illas Belgij Provincias eſſe arctioribus imperij habenis coërcendas, ſuiſq; illis legibus, inſtitutis, immunitatibus ac privilegijs, & cunctis deniq; cum libertatis firmamentis; tum præſidijs dignitatis ſpoliandas, ut ita erectis pro arbitratu ſuo ex tructiſq; arcib9, imperatiſq; vectigalibus ac ſtipendijs, ex florentiſſima provincia ſedē belli ad ſua ſtudia oportuniſſimam cōſtituerent, ex qua deinde aliquot Hiſpanicis legionib9 firmata, & ſuæ fidei penitus mancipata, quocunque inde adlibuiſſet, impetum facerent.

Ex eo itaq; tempore, omnia ſua conſilia, omnes rationes, omnes deniq; actiones ac ſtudia hûc intenderunt, ut in Belgio qua vi, quaq; injuria, præſidia Hiſpanica, per provincias, ad decem (ut minimùm) Veteranorum militū millia repartirentur, quib: indigenarum Gallorum militum robur adjungerent, eoſq; ordinarijs equitū turmis, quas in Belgio ſemper paratas, inſtructaſq; ex ritu veterum illius Provinciæ ducum ac Principum Rex habe-

habebat, communirent: eas deniq́; vel devincta ſibi per fœdus atq; amicitiam Germani cujuſpiam fide atq; opera, vel certè occupata Germaniæ vicina aliqua civitate equitatu Germanico, quoties ita ferret uſus, roborarent.

Ad hanc rem Ericum Ducem Brunſvvicenſem per initia delegerunt, quem annua penſitatione oblata, quaſi quodam authoramento, Philippus Rex fidei ſuæ devinxit: eodemq́; tēpore de Colonia, vel Monaſterio occupando conſilia inierunt. Sed cum Belgij ordines Hiſpanica præſidia obſtinatè recuſarent, eaq; ipſa, quæ tum ex belli Gallici reliquijs ibi manſerant, deduci importunè flagitarent, pecuniam imperatam niſi id fieret, obfirmatè renuentes, oportunitas illius cladis, quæ in Africa ſub idem temp9 ad Gelbos extitit, qua quidem legiones Hiſpanicæ propè ad internecionem deletæ ſunt, effecit, ut quam Belgarum petitionē Rex Hiſpaniæ ferebat indigniſſimè, & vero etiam quaſi atrox rebellionis crimen gravi ſupplicio mulctandam decreverat, eam rerū neceſſitate victus, nō planè ſibi ingratam eſſe ſimulârit, & præ-

ſidia Hiſpanica ex Belgio deduci paſſ⁹ ſit, ut Italiæ & Hiſpaniæ fines, & quas in Africa tenebat munitiones, ab Afrorum & Turcarum irruptione communiret: Sed certò tamen conſilio ac decreto (quod nc ipſe quidē potuit diſſimulare, & Hiſpani etiam ſcriptis editis teſtati ſunt) ut prima quaqua nova occaſione, infeſta Hiſpanorū pręſidia eò iterum ablegarentur, quorum vi atq; armis, & illa (ut arbitrabatur) Hiſpanico nomini inuſta macula elueretur, ac univerſæ gentis Belgicæ libertas arctioribus imperij frenis coërceretur.

Ad eam rem perficiendam, nūlla ſe obtulit occaſio ſpecioſior, quàm religionis Romanę conſtituendæ conſtans atq; invictū Regis Philippi ſtudiū, cura, ſollicitudo. Itaq; ex Hiſpania datis ſubinde literis, graviter queritur, rem illam neq; Parmenſi neq; proceribus ac magiſtratibus cordi ſatis eſſe, Omnino ſe videre niſi violentiora atque acriora adhibeantur remedia, Catholicam religionē in Belgio brevi peſſum ituram. Id verò ſe nequaquam paſſurū eſſe, ſed omniū regnorū ac ditionū reliquarū facturū potius jacturam. Itaq; planè ac

nè ac seriò velle, ut edictorũ de religione acerbitas, sine ulla dissimulatione ad unguẽ observetur, nullâq; de causa vel tantillũ remittatur, sed acrius etiam intendatur. Ad eam rem, novi per provincias Episcopi undiq; instituantur, qui munus Inquisitorũ exequantur strenuè: ijs omnibus præsit Granvellanus Mechliniensis Archiepiscopus, qui jam à Pontifice Galerum Cardinalitium acceperat & propter intolerabilem ambitionem atq; effrenem dominandi cupiditatem, apud omnes ordines gravissima invidia flagrabat.

Episcopis autem illis, ut eò gnavius muneri inquisitorio intenti essent, præda distribueretur ex manubijs reliquorũ Ecclesiastici ordinis beneficiorũ, quos ajebant nimium esse remissos, in persequendis mulctandisq́; hæreticis: simulq́; summa daretur potestas judiciorum in omnibus ijs causis, quę vel palam, vel obliquè ad religionis negotium spectare viderentur. Atq; ita uno tempore, unaq; opera, omnes gẽtis ordines pariter offẽdebantur.

Nam & Proceres graviter ferebant Reip: procurationẽ sibi ereptam, in unum hominẽ novum, atq; exterum Granvellanum conferri: No-

Nobiles indignè ferebant ſummum de ſuis capitibus, & fortunis omnibus judicium penès aliquot homunciones obſcuros, viles, atq; inopes, contra morem patrium fore, quos intelligabant ſuis facultatibus inhiantes, facilè criminandi occaſionem ad ſuam perniciē eſſe aucupaturos: Vrbium magiſtratus fremebant, Iudicia contra leges ac jurata è Principe privilegia civitatib9, eripi, & mandari hominibus nullius pretij, qui & extero principi Pontifici nimirū Romano, Sacramento obſtricti eſſent, & jam ante infinita avaritię & crudelitatis ſpecimina edidiſſent: Vniverſa denique plebs lupos fortunis ſuis inhiantes pro paſtoribus datos ſibi querebatur, ita ut infiniti mercatores de patrijs ſedib9 deſerendis cogitarent, & verò etiam innumerabiles in exteras regiones commigrarēt. Ea cū varijs ſupplicationibus, libellis nuntijs, ac legatis ad Regem referrerentur, omneſq; ordines ſtudioſè intercederent, ut ne tanta rerū innovatione populo fideliſſimo præberetur occaſio de antiqua fide ac benevolentia in Principē quicquam remittendi, omnia eorū poſtulata Rex non modò obſti-

obſtinatè reſpuit, ſed voluit etiam Tridentini Cō-
cilij decreta, quibus omnia penè jura patria labe-
factabantur, ſanciri. Videbat enim adeſſe jam oc-
caſionem diu multumq́; expetitam. Etenim futu-
rum, ut vel ſi dicto parerent, Inquiſitorū poteſta-
te ſemel conſtituta, convulſiſq́; legibus atq; inſti-
tutis patrijs, haud difficilè tollerentur è medio, qui
vel authoritate, vel gratia apud populū valerent:
atq́; ita Hiſpanica præſidia, & nova Reipublicæ
forma introducerentur. Vel ſi renuerent, læſis
jam omnibus per æquè ordinibus, tumultus ali-
quis neceſſariò oriretur, ad quem coërcendum
præſidia mittenda cenſerentur: vel quoquo mo-
do res caderet, obſtinatè neglectū Regis manda-
tum, quaſi atrox læſæ majeſtatis crimen ſatis cau-
ſæ ad gentem omnem, ferro atq; armis mulctan-
dam, videretur. Neq́; fefellit conſilium eventus.
Cum enim ex flore Nobilitatis nonnulli oblato
in curiâ libello ſupplices retuliſſent, quam eſſet
illud Regis inſtitutum & Reipub: pernitioſum, &
ipſi Regi damnoſum, & ſibi periculoſum, rogâſ-
ſentq́; ut tantiſper Inquiſitionis illa promulgatio

 diffe-

differreretur, donec de eorum postulatis, Rex ipse in Hispania per legatos, viros ex summo ordine primarios, cognovisset, plebs hac occasione majorē aliquam sibi libertatē concessam raat, religionē Evangelicam, quæ Regi atq; omnib9 Hispanis erat invisissima, cœpit, licentiosius fortasse quam par esset, profiteri, ac publicè exercere. Hac occasione tam speciosâ, Rex primum quidem universum illūm nobilium ordinem, qui libellum obtulerant, majestatis damnavit. Legatos qui ad se in Hispaniam ex Parmensis pro Reginæ mandato venissent, capite mulctavit; & simul legiones veteranorum ex Hispania Duce Albano misit, qui proceres ac nobiles omnes. qui Hispanorum studijs minus favissent, religionis prætextu è medio tollerent: in optimos quosq; capitis pœnam sancirent: plebem universam gravissimis oneribus, vectigalibus ac servitute durissima mulctarent; in urbibus atq; oppidis arces conderent: deniq; ordines ac Magistratus authoritate, Nobilitatē dignitate, ac splendore, populum fortunis, civitates legibus immunitatibus & antiquis privilegijs, univer-

versam deniq; provinciam omnibus ornamentis ac præsidijs nudarent: atq; ita Hispanicis illis de belli sede, in Belgio instituenda, consilijs viam aperirent: Quæ quidem omnia quam sedulo ac diligenter Albanꝰ præstiterit, cum in omnium oculis ac luce versetur, nihil attinet, commemorare. Atqui nõ ad Belgij provincias (quæ certè imperiũ minimè detrectabant) subijciendas, sed ad Hispanicam in Europa Monarchiam stabiliẽdam, eam manifestè spectavisse, an potest cuiquam esse obscurum; qui quidẽ eorum consilia, rationes, actionesq; omnes volet advertere? Nam initio quidẽ ad Albani adventum, Coloniam, ad Rhenum urbẽ, eo prætextu, quod Regis Hispaniæ perduelles hospitio ac civitate donâssent, invadere cogitavit, & simul eodẽ tempore Monasterium, VVestphaliæ oppidum, suæ potestati subjungere. Quod quidẽ, nisi Auraicæ Princeps cõparatis ex Germania copijs, ejus impetũ & cõsilia intervertisset, utrumq; haud dubiè confectum uno tempore vidissemꝰ.

Neque tamen proterea desijt Coloniensibus mandata quæ vellet, præscribere, & se natum gravissi-

vissimis comminationibus ad obsequium cogere. Cum Trevirensi, qui eo tempore suũ illi obsequiũ ad Regis Hispaniæ consilia atq; instituta conficienda pollicebatur, primum quidem secretò tractare in perniciem illustrissimi sanctæ memoriæ Comitis Friderici Palatini: mox verò etiam contentionem suscipere de urbe Trevirensis ditionis præcipua, quam in regis Hispanię protectione esse contendebat. Clivensi Duci Cõsiliarios eos dare, qui in ejus ditionibus non aliter ex præscripto imperarent, quam si suæ ditioni subjectas Rex Hispanię tenuisset. Embdanũ Comitẽ clientelæ nomine beneficiarium sibi reddere. Leodiensib9 arma, tela, commeatum atq; auxilia impetrare, & in omnibus deniq; finitimis illis popoulis merũ imperium exercere. Mox autẽ Serenissimæ Anglorũ Reginę, mercatorij contractus nomine, controversiam moverunt, Anglos omnes qui in Belgio essent, arcta custodia coërcuerunt. Reginæ, quos vellent in Anglia proscribi, atq; exilio mulctari, edixerunt. Ipsius Anglicani regni perduelles, homines nefarios & cõspirationis in Reginam factæ

con-

convictos, non modò finibus atq; hoſpitio exceperunt, ſed etiam muneribus ac largitionibus, annuiſq́; penſitationib⁹ locupletârunt. Scotiæ Reginam ad res novas moliendas varijs artibus concitârunt: eoſq; qui Scotiæ Proregem nefariè trucidârant, etiam præmijs atq; honoribus affecerunt, eorumq́; opera, conſilio, manu, ad multas res uſi ſunt. Quid? quod ipſam Reginam Pontificis Romani diplomate, hæreticam atq; illegitimam regni hæredē pronūciari curârunt, nefarijſq́; cōſpirationibus, in ipſius regni viſceribus excitatis, in vitę diſcrimen adduxerunt, regnūq́; ijs qui vellent diripiendū occupandumq́; publicârunt? Sigillatim autē Auſtriaco datū eſt negotium, ut rebus in Belgio conſtitutis, ferro atq; armis Angliam invaderet: Scotiæ Reginam in matrimonium duceret, cum qua regnū Angliæ, Scotiæ, atq; Hyberniæ ſibi vendicaret. Quod cum renovato cum Ordinibus bello minimè ſucceſſiſſet, iterum alia via per Hyberniam tentandū eſſe putaverunt. Miſſę ſunt itaq; Pontificis quidē Romani nomine, inſtituto autē ac voluntate Philippi Hiſpaniarū Regis, in

Irlandiam, Italorũ & Hispanorum copię, quæ ex illa Insula, quam se fidei suæ addictam sperabant habituros, in Angliam porrò impetu facto, in suam potestatẽ universum illud regnũ subijcerent. Et nisi Ducis Albani, rei difficultate perterriti, consilio, Philippus Rex eam rem in meliorẽ temporis oportunitatẽ differendam decrevisset, jam pridẽ universa belli moles in Angliam translata esset: ut nimirũ illa primũ occupata atq; ea ratione Oceano Gallico & Britannico in potestatem redacto, felicior esset Belgij opprimendi ratio. Galliam porrò inter ea per teneram Regũ ætatẽ varijs dissidijs fluctuantẽ, omni studio, arte, industria, omnibus denique machinis intestino bello implicârunt, ut florentissimũ illud potentissimumq́; regnum, domesticis armis ad internecionem propè attritum, possent sine multo negotio, cum usus ferret, opprimere. Interea autem quas illi civilibus ijs bellis faces submoverint, quæ auxilia subministrârint, quæ dissidia excitârint, quæ partium studia, factiones, simultates, fœdera, conspirationes ad fovendum illud miserum incendium ex-

cogi-

cògitârint, quid attinet dicere? cū ipsi Regi Christianismo notum sit, illos non semel populos sibi subditos ad defectionē & ad arma contra se capessenda sollicitâsse. Et ne quis illud Religionis catholicæ zelo factum autumet, etiam ipsos Religionis Evangelicæ propugnatorū ac principum animos ingentibus pollicitationibus, muneribus ac pecunia pertentâsse. Cum ad ejus Majestatem sæpe numero certis indicijs relatum sit, quas illi machinas ad privatos multos civitatum ac portuum maritimorū præfectos corrumpendos, & ab ejus fide alienandos adhibuerint: quod ipsum etiam Navarræ Regem promissa pecunia ad dirumpenda pacis fœdera studiosè sollicitârint, & ne quidē à Regis fratre serenissimo Andium Duce in fratris ac totius regni perniciem armando, sollicitandoq; abstinuerit. Et cum eum suis cupiditatibus minùs obsequentē cernerent, veneno ac submissis sicarijs è medio tollere tentârint, ut interea omittam pensionariorū, quos vocant, numerū nō modō ex Iesuitarum & Inquisitionis corycæorū grege, sed ex alijs stipēdiarijs, quos nō modo apud

Galliæ Regẽ, sed apud omnes ferè Christiani orbis Principes ac populos ex intimis & maximè arcanis consilijs suæ fidei addictos habet Rex Hispaniæ, qui quoties opus sit, Rempub: turbent, subditos ad arma concitent, consilia adversa dissipent, & quod sibi ex usu sit, decernant. Sunt enim hæc plana, aperta, & verò ipsis etiam Regibus & Principibus, in quorũ perniciẽ comparantur, multò notissima. Et nemo tamen est, qui vèl hiscere quidem audeat vel mutire. Tantus scilicet omnium animos Hispanici mominis terror occupavit. Nam quid ego de Germania nostra dicam? quæ cũ in omniũ maximo versetur periculo, & propè jam Hispanicæ ambitionis gurgite absorpta sit, omniũ tamen maximè secura periculum negligit, & vicinorum tectorum incendiũ jam usq; ad intima sui ipsius viscera pervagatum, nihil ad se pertinere putat: ita quæ & suam privatam, & communem orbis, Christiani libertatem olim omniũ strenuissimè tutari solet, ad repellendum hoc Hispanicæ servitutis jugum, videtur omnium ignavissimè obtorpuisse.

Sanè

Sanè habet in Germania Philippus Hiſpaniæ Rex non jam occultos exploratores aut penſionarios, qui Principũ conſilia, atq; arcana ad ſe deferant: ſed publicũ aſſeſſorem in Camera Imperij, per quem de cauſis omnibus ac negotijs Germaniæ cognoſcat, & tanquam unus aliquis ex Germaniæ Principibus dijudicet. Sedet etiam per legatos in omnibus Imperij conſeſſibus, omnia comitia perluſtrat, omnia deniq; arcana explorat, neq; minus habet perſpecta quam ipſi Germaniæ ſeptemviri Electores. Quo quid poteſt eſſe indignius, quid Germanico nomini contumelioſius, quid aut libertati inſidioſius, aut pernicioſius ſaluti, quàm nullũ exiſtere Imperij in Germania conſeſſum, nulla comitia, nullum Senatũ, nullum ordinum conventum, ac ne commune quidẽ Iuris ac Iuſtitiæ tribunal, niſi inſpectante, cognoſcente, ac propemodum judicante, imperanteq; Hiſpano? Quid ita? quia videlicet circuli Burgundici nomine, qui inter Germaniç circulos cenſetur, etiam inter Imperij Germanici mẽbra habend⁹ eſt Rex Hiſpanus. Quid hoc quæſo eſt, Illuſtriſſimi

 Prin-

Principes, nisi vestro nomini, authoritati, gloriæ apertè illudere, & vobis videntibus, scientibus, prridentibusq;, servitutis Hispanicæ capistrū imponere? Anno â Christo nato qost mille quingentos quadragesimo, ni fallor octavo, cum vi atque armis oppressam teneret Germaniam Carolus Quintus Imperator, Augustæ armatis Hispanicis atq; Italicis legionibus septus, comitia indixit: Retulit multas, in inferioris Germaniæ, quæ Galliam attingit parte, esse tum urbes, tum provincias, quę antiqua lege & consuetudine â Camera Imperij jura solerent accipere, ad Germanię commune tribunal provocare, & deniq; in Germaniæ circu, lis atq; imperio censeri. Ex quo cū sæpè variæ orirentur controversiæ, velle se una opera & litibus finē imponere, & Germaniam beneficio afficere: ac proinde decernere, ut post hac omnes omninò, quas tum in Germania inferiore, tū in Gallia Belgica provincias ac ditiones tenebat, in unum Imperij circulū redactæ, Burgundici circuli nomine censerentur. Eò nomine, se suosq; posteros imperio pensaturos, quantū ad belli Turcici vectigalia

 sole-

ſoleant pendere duo Electores, de cætero univerſam illam ditionē non tantū ab omnibus Imperij indictionibus collectis ac ſubſidijs liberam forè, ſed etiam omni Cameræ juriſdictione, legib9, atq; edictis Imperij ſolutam. Hæc ſcilicet eſt merces ſpoliatæ noſtræ Iuriſdictionis, authoritatis, Imperij. Hoc eſt ſervitutis, authoramentum hac enim pecuniola proſtituta eſt SacroSancti hujus Imperij dignitas ac libertas, dataq; extero Principi, cui nulla nobiſcum, nec generis, nec vicinitatis, nec linguæ, nec Iuris neceſſitudo intercedit, poteſtas in noſtra comitia irrumpēdi, in noſtris conſeſſib9 ſedendi, & in Camera Imperij ſententiam dicendi, omnia deniq; noſtra conſilia, rationes, arcana perluſtrandi explorandiq́,. Quod ſi in ſervitute, etjamſi neq; ſuperb9, neq; moleſtus ſit Domin9, tamen miſerrimum eſt, poſſe eſſe, ſi velit, quis nō videt miſerrimam profectò eſſe noſtram Germaniam, in qua Rex Hiſpanus, ſi velit, ex arbitrio poſſit imperare? Quanquam quid attinet dicere ſi velit, poſſe, cum jam eum longè lateq; in Germania imperare omnes videant? Quid enim hac Burgundici circuli conſtitutione conſecutus eſt Hiſpanus?

Vindelicorũ, Ratisbonæ, aliarum amplissimarum Imperij Civitatum cervicibus imminent: ut omittam etiam quod Imperij ipsius clavũ in manu habent, qui ob Hispanici regni spem, Hispanicæ dominationi haud unquam se opponent. Quis non intelligit, quo tandẽ spectet immensa ista atq; inexplebilis dominandi sitis, qua adolescentẽ Bavariæ Ducẽ Episcopũ Frisingensẽ Hispanici Regis studio incitatum, authoritate armatum, flabello incensum, ardere omnes vident? quẽ nulli neq; amplissimi Episcopatus, nec principatus potentissimi possunt exsaturare? Is jam uno propè temporis momento eam sibi comparavit potentiam, ut multis quidẽ Europæ Regibus comparandus, omnibus certè Germaniæ Principibus metuendus, jure videatur. Multa enim sunt atq; illustria in Europa regna, quæ neque finiũ amplitudine, nec multitudine gentium, nec militum robore, neque omnium rerum copia, cum ejus ditionibus comparari possint: neque tamen conquiescit, sed Hispanicæ ambitionis æstro percitus, semper majora ac majora concupiscit. Iam enim præ-

ter amplissimos Episcopatus, Frisingensem ac Hildesheimensem, etiam Leodiensem principatum, & ditionis amplitudine, & gentis robore, & loci oportunitate, nulli secundum, Hispanici Regis opera atq; impulsu obtinuit. Ei etiam Archiepiscopatum Coloniensem adjungendum putavit. Nam & si hactenus semper Leodiensis ditio Hispanos, telis, armis, machinis, milite, commeatu, atq; omnibus belli præsidijs non obscurè, neque dissimulanter juvit, quamdiu tamen Coloniensis Electoris metu nonnihil retentus Episcopus, omnes animi latebras necdum sibi patefaciendas duxit, & si re ipsa Hispaniæ Regis obsequijs, suam omnem ditionem manciparat. Verbo tamen neutralitatem præ se tulit. Iam verò, ne quid restaret, quo minus Rex Hispaniæ pro arbitratu posset planissimè imperare, Archiepiscopatum etiam Coloniensem, & summam Electoratus dignitatem, partim armis, partim comminationibus, partim Romani Pontificis authoritate, illi, aut potiùs illius nomine sibi procuravit atq; addixit, qua certè ratione non jam solum ipsius Germaniæ armis

ac

ac viribus inferiorē illam Belgio finitimam Germaniam oppugnat, sed ad universam etiam superiorē Germaniam imperio ac dominationi suę subjungendam aditum sibi patefacit: omniaq; & Electorū & reliquorū Imperij Principū vectigalia suæ potestate subijcit. Quæ quidē, Illustrissimi Principes, vestræ dignitatis, vestriq; Imperij nervos ac præsidia merito semper omnes duxerunt, quibus amissis & in exteri Principis potestatē hac nova Coloniensis Archiepiscopi electione redactis, quasi compedes ac numellæ vobis injectæ sunt, quibus & belli gerendi (si necesse sit) potestas adimatur, & servitutis jugū, quoties Hispano adlibuerit, cervicib⁹ vestris imponatur. Nec enim jam est necesse Philippū Regē Iulij Cæsaris exemplo pontis in Rheno construendi cura magnoperè distineri. Pons enim illi ac trajectus est ipsa Imperij urbs, atq; Electoratus sedes Colonia, omnisque Archiepiscopi ditio, quæ hujūs nutui ac volūtati non secus ac suo parebit Principe. Quid igitur jam reliquum est, quo minus universæ Germaniæ Hispanus imperet, edicta quæ velit præ-

ſcribat, & in quoſcunq; adlibuerit armis impetũ faciat? Nullum fortâſſe habet in Germanici Oceani faucibus portum, in quẽ ex Hiſpania (ſi neceſſe ſit) claſſem mittat. Atqui & hoc prudenter cavit ne ſibi deceſſet, Prætextu enim vel belli in Phryſios gerendi vel commeatus in Belgiũ importandi. Amaſi oſtiũ concedi ſibi poſtulat: ad eam rem conficiendam negotium dedit Billiæo Luſitano, ut ſibi Embdanam civitatẽ à Comite Phryſię orientalis Edzardo, quẽ clientelæ nomine devinctum habet, ad tempus aliquod quaſi commodato tradi curet. Ejus beneficij præmiũ Gröningam oppidũ, quod quidẽ undiq; Hiſpanorum manu cinctũ, atque omni commeatus oportunitate excluſum, quoties lubebit facilè recepturus eſt, & ſimul Burgundiæ comitatus gubernationẽ, cũ vectigaliũ ac reditus anni uſura, ſuis tamen præſidijs munitam illi pollicetur. Ita perficit ut oportuniſſima omnia Germaniæ flumina Danubiũ, Rhænũ, Lycũ, Oenipotentẽ, Moſam, Moſellam, Amaſim in ſua poteſtate habeat & quemadmodũ per ſuos clientes, & neceſſarios terra ſibi

adi-

aditum undiq; patefacit; ita in Oceano nihil sit quod ejus vel vires frangere, vel impetū possit retardare. Et quia postremò intellexit, quantam olim Carolo Magno difficultatē ad res gerendas præbuerit, invictum illud Saxoniæ inferioris, robur, & simul commeminit, unam Magdeburgensium civitatē non ita pridē ab omni confœderatorum auxilio nudatam, Caroli V. Imperatoris invictissimi, parentis sui, exercitum, detinuisse, victoriam cohibuisse, ac vires deniq; fregisse, dedit operam, ut huic etiam periculo provideretur, neq; quicquam planè esset quod in Germania imperium ejus posset remorari. Perfecit enim ut & Romanus Pontifex & ipse Imperator, præter ea quæ jam antè à nobis commemorata sunt, Episcopatum etiam Magdeburgensē, hoc est, Vniversum Saxoniæ robur, eidē Episcopo sponsione addixerit. Nihil enim putat interesse per sese ne, an per legatum, clientē inquam & consanguineum atq; affinē suis studijs addictissimum teneat: cum habeat exploratum, illo Episcopo, sese quod velit, esse imperaturum. Neq; tamen his etiamdum se continet finibus.

 La-

Labores enim ut illũ totius Germaniæ Primatẽ creet, cujus nutu atq; authoritate omnia Ecclesiastica munera, dignitates, ac præbendę in quos sibi adlibuerit, erogentur. Neq; adhuc persentiscitis, virj Germani, Hispaniæ Regẽ in Germania Imperium, non dicam ambire, sed jam occupatũ tenere: qui Belgio devicto portus omnes oceani, & Germaniæ fluminũ ostia in potestate sit habiturus, vobisq; omnẽ navigandi ac negotiandi facultatẽ quoties libebit, erepturus, qui Amasi etiam ostia sibi jamjam tentet subijcere: qui vestra omnia vectigalia & portoria in suam potestatẽ redigat: qui Clivicensibus, Iuliacensibus, Leodinis, VVestphalis leges atq; edicta præscribat: Coloniam imperio suo parere jubeat: cujus clientes, propinqui, affines maximos ac pręstantissimos Germaniæ populos sibi subjectos habeant: qui ex Hispania in vestris consessibus & comitijs sedeát & sententiam dicat: Vestra omnia consilia, rationes atque arcana perlustret: qui non modò quod vult jubeat, vetet, sanciat, imperet, sed pro arbitrio etiam Episcopos, Frisingensẽ, Hildesheimensẽ,

vobis

vobis designet: Principes & Electores Imperij Coloniensē, Leodiensē, Magdeburgensē creet: qui deniq; Primatē Germaniæ imponat, per quē Ecclesiastico ordini in Germania amplissimo ac potentissimo imperet, & pro his omnib⁹, unū vobis obtrudat, quē habet sibi & sanguinis & affinitatis multiplicibus vinculis obstrictū, & clientelę nomine devinctū, & beneficiorū acceptorū necessitudine, atq; alijs infinitis nominibus addictissimū, quemq; certò novit nihil nisi ex suo nutu, sententia, præscriptoq; tentaturum, acturumvè: quē deniq; propter varias ac multiplices, quæ illi cum alijs potentissimis Germaniæ Principibus intercedunt, controversias, exploratū habet in Germania ejusmodi dissidiorum faces esse submissurū, quæ nisi cum totius sacri Imperij ruina extingui nunquam possint. Nam cui potest esse ignota, vetus illa quæ huic est cum illustrissimis Brunsvici Ducibus, de mille supra unum pagis gravissima controversia? quam certè silentio sopitam nunquam patietur conquiescere.

Aut quis nescit quanta æmulatione hæc Bavarorum

neq; tam potenti, tamq; ambitiosi ac superbi Regis conatibus obsistendum ducitis. Quid verò reliqui Christiani Orbis Reges, Principes atq; ordines? Vna tenet omneis socordia, unus veternus. Dum enim unicum Belgium ejus se tyrannidi objicit, omnibusq; Regibus, Principibus, atq; ordinibus Christiani orbis, & avertendæ servitutis occasionē ac tempus largitur, & quàm facilè Hispanicæ hujus Monarchiæ fundamenta labefactata everti possint, suo exemplo commonstrat, nemo est qui rem sibi curæ esse declaret: sed quasi de industria potentiam Hispanorū ad suam quisq; perniciem certatim augere & Corroborare studeat, taciti omnes patiuntur Belgas diuturnitate ac mole belli fractos, rebusq; adversis tabescentes languescere, ita ut quid vel cōsilij capiant, vel rei tentent, difficile possint cōstituere. Interea Galliæ Rex potentissim9, ob semel capta â fratre Andegavensi Duce improvida ac temeraria consilia, animo fluctuans, vicinum incendium longè lateq; pervagari cernit, sperans fortasse sibi satis fore virium ad suas res domi tuendas, conservandasque, ipse

Andegavensis rerum suarum incertus, quid faciat, quidvè sibi ex usu sit decernere non potest. Regina etiam Angliæ ob occupatam Portugalliam & Oceanum in Hispani potestatem redactum, attonita videtur obstupescere, neq; quid consilij capiendum sit, decernere. Hispanus interea omni conatu ac viribus Bēlgium premit, & pulcherrima concupitæ totius Monarchiæ fundamenta, nullo intercedēte jacit, ita ut jam nominis sui atq; imperij terrore atq; amplitudine extremos orientis atq; occidentis fines longè lateq; impleat, & quod est à Pontificibus Romanis Catholici Regis nomē consecutus, id verè ac re ipsa sibi proprium efficiat: quod certè vobis quidē omē, Reges, Principes, ac populi Christiani, nisi provideritis, extremiam servitutē; huic autem, quē vestra socordia in immensum crescere sinitis, Regi, Catholicam, hoc est, Vniversalem in omnes dominationē ac tyrannidē comminatur. Philippus quondam Rex Macedonum Græciæ merito suspectus fuit, propterea quod finitimos aliquot Thraciæ populos, & Græciæ oppidula suæ ditioni subijciens, reliquę

totius

totius Græciæ libertati videretur insidiari: ac proinde censuerunt Athenienses ab universis Græcis, potentiam ejus esse retundendam, imminuendamq; viriti ne quo flagrabat ambitionis incẽdio, non modò Græcia omnis, sed Asia etiam universa absumeretur. Neq; fefellit istos suspicio. Nam etsi Philippus morte præventus, quod animo cõceperat perficere non potuit, eũ tamen veteranorũ militum florẽ filio Alexandro post se reliquit, cujus robore, vir adolescens, non modò Græciam, sed etiam universam Asiam, Syriam, Babiloniam, Persiam, A Egyptum sibi subjecit, & ad Indorũ & Schytarũ extremos usq; fines, omnia longè lateq; depopulatus, tertiam illam post Persas orbis terrarum potentissimam Monarchiam brevi temporis momento stabilivit. Nos hujus Philippi Regis Hispani neq; ambitionis æstũ metuimus, nec redundantẽ potentiam imminuendam censemus, qui nõ unũ, sed propè infinitos varijs locis, atq; instructissimos habet à veteranis militib9 exercitus: qui plusquam triginta Hispanorũ veteranorũ millia in varijs præsidijs parata sẽper atq; instructa tenet:

qui in Africam, Asiam, Europam, Americam, atque Indias omneis & Eoas & Occiduas Imperij sui fines longè lateq; submovit: qui Otthomannicam potentiam, classe instructissima fregit: qui Lusitaniam omnẽ cũ infinitis Oceani insulis, florentissimisq; regnis ac provincijs, imperio suo adjecit: qui universam Italiam orbis quondam dominatricẽ suo arbitratu moderatur: Africæ portus ac littora non pauca in potestate habet: universum Oceanũ quaqua versum occupati Mediterranei maris insulas omnes præcipuas, ac port⁹ suæ ditioni subjectas tenet: quis deniq; omnib⁹ Christiani orbis principibus ac populis, quod vult, præscribit, & solo nominis terrore quid adlibuit, exequitur.

Quod si verò quis existimat, eum tam amplo ac vasto contentum Imperio, nihil esse ampliùs attentaturũ, nisi quod jure & legibus possit vendicare, neq; in aliena Imperia aut regna per nefas facturum impetum, is profectò prudens sciensq; fallitur, & ubi ipse palpum obtrudens saluti suæ ac dignitate pessime consulit. Primum enim inexplebilis est regnandi cupiditatis sitis, atq; ardenti flam-

ti flammæ persimilis, cui quò plus alimentorum ingeritur, eò latius vagans plura semper absumit ac vastat, neq; quicquam ulla ex parte in confinijs intactum aut integrum esse patitur. Deinde quis ex illa impotenti Portugalliæ occupatione non videt Philippum Regē nullis legibus, nullo jure, nullis deniq; sanctionibus teneri velle? Nam si quod sibi jus in regni illius successione arrogabat, cur leges armis perfregit, jura vi antevertit, sanctissimorū Iudicum sententias flamma & ferrò præoccupavit? Antonium Regē, Gallię Reginam Matrem, Bregantij Ducem, & verò etiam ipsius Parmensis Principis filiū, ac reliquos deniq; omnes, qui de regni successione ambigebant, nefariè delusit? Et adhuc juris nomen aut religionē apud illum valere existimabimus, qui regnandi causa nullo se nisi armorū jure teneri palàm atq; in totius orbis Christiani oculis testatur? Quid vero? qui data pecunia Turcam in Venetos confœderatos armavit, eorumque impetum à suis finibus in Cyprum avertit, eumne ullis fœderum legibus teneri arbitrabimur. Qui neque cum

Indis, neq; cum Granatensibus, neq; cum Belgis inita fœdera diutius quam sibi ex usu esset sancta habuit, ejusne ardens ambitio fœderis aut juris ullâ sanctione retinebitur? Sed quæ tandem illum juris obstringat religio, quem suæ ipsius religionis præscriptum, & Pontificis Romani authoritas ab omni juris vinculo liberat? An verò quam nullæ matrimonij leges ab incestu, nulla conjugij necessitudo ab adulterijs, nulla naturæ vincula à parricidio, nullum deniq; fidei sacramentū à perjurio retinet, ejus ardentē ambitionis flammam, regni propâgandi studio incensum animū, ultionis appetitæ in sanum furorem, Iustitiæ aut Iuris frigida suffusa restingui posse arbitrabimur? Quasi verò Pontifici Romano minus fiet integrū regnum finium jura quam matrimonij necessitudinē, quam conjugij sanctitatem, quam fidei sacramentū obtenta bulla solvere? Quanquam quid attinet juris prætextu Illius ambitionē oppugnare, qui ex jure & lègibus in aliena imperia meritò se posse invadere jam pridē statuit? Ecquis enim est Regum aut Principū, reliquorumque Christiani Orbis

bis Ordinū, in quē se Hispaniæ Rex non arbitretur justissimam belli gerendi causam tam pridē habere? Galliæ Regē accusabit; quod fratrem in suas ditiones armis irrumpentem, non modò non prohibuerit, sed milite, commeatu, Pecunia, armis roboraverit, eoq; nomine hostem se prior declarârit: quod Reginæ matris nomine insulas suas Gallicis armis ac signis hostiliter invaserit, classem suam oppugnârit, Antoniū hostem ac perduellem: non modò regno atq; hospitio exceperit, sed armis etiam ac milite juverit: quod Belgas ipsos omnibus Belli præsidijs, quoad potuit, sustentârit. Angliæ Reginam dicet primū quidem esse hæreticam, & à Pontifice Romano proscriptam, deindē multis etiam rebus, & terra & mari decretis ac gestis hostilem erga se animū prodidisse, hostes suos ac perduelles fovisse, & tum pecunia, tum commeatu milite juvisse, classem hostilem in Oceanum misisse, Antonio Lusitano auxilia subministrâsse, aurum ac naves ex Indijs per vim subduxisse. Germanos Principes alios quidem causabitur Principi

Aura-

Auraicæ contra ſe auxilia tuliſſe, alios in Belgio etiam militâſſe, in alios per Friſingenſem, ſeu Leodienſem Epiſcopum de finibus movebit controverſiam, in alios de jure Electoratus: omnes autẽ univerſum vel eſſe hæreticos, & à Ro: Pontificis obediantia deſciviſſe, vel certè cum ijs, qui deſciverint, fœdus inijſſe, pronunciabit. Hos omnes Rom: Pontifex anathemate percuſſos armis ad obſequiũ cogi volet. Annon erit hoc ſatis ſuperq; juris ad eos invadendos, ei qui Põtificis Rom: mandata pro divinis oraculis, anathemata fulminibus habeat? qui per ſe etiam religioni Evangelicæ hoſtis ſit infeſtiſſimus, eamq; tanquam humani generis teterrimam peſtem oderit: qui omnes ſuos conatus, omnia ſtudia, conſilia, actiones, fœdera deniq; omnia ad illam delendam ac penitus extinguendam ſemper adhibuerit, & qui cũ ſit omniũ hominũ ambitioſiſſimus, palàm tamen profiteatur malle ſe omniũ ſuorum regnorum ac ditionũ jacturam facere, quam vel minimam hujuſce religionis ſcintillam inextinctam pati: qui deniq; Germanos propè omnes, haud alio loco quàm Turcas, Paga-

Paganos, & Saracenos habeat. Quid verò Pontifex, an non arbitrabitur ſibi æquè eſſe integrum Germaniam anathemate percuſſam Philippo Regi diripiendam dare, atque olim ejus parenti ſuperiores dedêre Pontifices? Paulus Tertius, ejuſquè anteceſſor Clem. VII. Carolo V. anathematis fulmen intentârunt, propterea quod de religione diſſidia putaret authoritati concilij generalis, non armis eſſe decernenda: optimumque ac minimè ambitioſum Principē ad ſumenda in Germanos arma, invitum ac diu reluctantem comminationibus ac fulminibus ſuis tandem coëgerunt: & nos exiſtimabimus Philippū Regē nullis Pontificum flabellis incitatum iri, ut ſe jure arbitretur Germanos in Romanæ fidei obſequiū armis poſſe adducere? Quod ſi verò quis exiſtimat ad Proteſtantes hæc ſolum pertinere, reliquos ab Hiſpanicæ tyrannidis metu liberos eſſe, is cogitet, veteros olim Henricos, Otthones, Fridericos, alioſque ſummos, potentiſſimos, atque omni virtutis laude præcellentes viros, majores veſtros, Illuſtriſſimi Principes, eandem cum Pon-

 tifi-

tificibus religionem coluisse, neq; fulminũ Pontificiorum cuspides minus propterea sensisse: cum alij Pontificum nutu sua regna atq; imperia in exteros Principes translata viderint, alij eorum vel pedibus proculcandam cervicem subjecerint, vel ad genua capite ac pedibus nudatis supplices se provolverint, vel deniq; iram gravissimis mulctis ac supplicijs averterint. Cogitet, satis causæ Pontifici Romano ad Hispaniæ Regem in Germanorũ perniciem armandum fore, quod videat eos qui suam religionem profitentur, eandem tamen non modò adversus protestantes non tutari, sed multis etiam fœderibus ac varijs necessitudinum vinculis cum illis conjunctos esse: Cogitet denique cum se Hispani sentiant Germaniam non posse vel suo imperio subijcere, vel ad Pontificis Romani obedientiam armis adigere, nisi ad alios subigendos aliorum operam vel fœderis nexu, vel clientelæ necessitudine, vel armorum terrore sibi addixerint, omnino eam Germanis conditionẽ ac legem subeundam esse, ut vel fœdere atq; amicitia se Hispanis ad reliquos Germanos opprimen-

dos

dos conjungant, vel ad hos propugnandos, & universam Germaniam in libertatem vindicandam contra Hispanos arma sumant.

Quod nisi maturè fecerint, & præclara ista Belgicarum rerum occasione usi, Hispanicæ potentiæ incrementa inciderint, frustra suis posteà viribus singuli ruentem in suas cervices immensæ tyrannidis molem conabuntur avertere. Est quidem, est inquam, magna, Viri Principes, Regis Philippi potentia, Sed est tamen ejusmodi, ut ejus omnia fundamenta; quemadmodum vestra ac reliquorum Principum tolerantia, ne dicam socordia, nata adoleverint: ita vestra virtute, consensioneq́, labefactata, nullo negotio sint ruitura. Omnes enim ejus ditiones multis magnisq; locorum intervallis inter se dissitæ jacent, & facilè est illis commeatum intercludere, auxilia intervertere, vires deniq; frangere: modo ut ipsi vobis non desitis, modò ut Germaniæ intermedio vinculo Ital: cum Belg: necti non patiamini. Quod quidem eò erit facilius, quod videatis omnes populos illi subjectos, immanem ejus tyrannidem exhorrescere, & nihil nisi rei gerendæ occasionem, qua se in libertatem vindicent, expectare. Videtis quantulis viribus, quam parva manu, quàm contemnendis principijs, Aurasiaci Princeps magnos Hispanorum exercitus, & vastos illos conatus irritos atque inutileis reddiderit. Quanto tempore Belgij provinciæ omni auxilio destitutæ, atque omnibus nudatæ præsidijs tanti Regis impetum sustinuerint. quam propè absuerit ut dudum quidem Ioh. Austriacus, nuper autem Princeps Parmensis cum omnibus suis copijs ex omni Belgio ejecti fuerint: & nisi tum quidem intestinis dissensionibus pleræq́; provinciæ à communi fœdere descivissent, nunc autem aulicorum quorundam perniciosis consilijs Dux Andegavensis fortunam, quam in manibus habebat, elabi sibi passus esset, non modò è Belgio decessuri fuerint Hispani, sed imperij sui fines intra Iberum forrasse terminaturi, Itaque nec est, Illustrissimi Principes, quòd Hispanici Imperij terror à re fortiter gerenda, vindicandaq́; communi libertate vos absterreat, neq; quòd eorum potentiæ contemptus securos aut segniores efficiat. Nihil Regis illius vobis oberit potentia, si maturè provideritis, si res Belgicas non neglexeritis, si Belliæi conatus ab occupando Amasi ostio, vestrâ authoritate atq; imperio fregeritis, si ardentē Ducis Bavariæ ambitionem, ejusq́; erga Hispanicum nomen studium coërcueritis, si cum Christianissimo Galliarum Rege, cum Serenissima Angliæ Regina, cum alijs deniq; Christiani Orbis Principibus, consilia de immensa ista Hispanorum potentia intra suos limites coërcenda, seriò ac maturè iniveritis. Sin autem patiemini finitimum vobis Belgium, Hispanicis armis jam ferè oppressum, etiam Germaniæ viribus atteri: Clivenses, Iuliacenses, Colonienses ad Philippi Regis mandata contremiscere taciti spectabitis: Leodienses machinis, armis, commeatu atque omnibus belli præsidijs, quod est hactenus ab illis studiosè factitatum, hostem juvare non prohibebitis; neque Ducis Bavariæ æstuantem ambitionem

onem coërcebitis? Sed ejus imperio Coloniensem Archiepiscopatum, atq; Electoratus dignitatem adjungi patiemini, eumq; suas vires ad Belgij perniciem cum Hispano conjungere non vetabitis, & verò etiam portum in Germanico Oceano Hispanorum classi patefacietis: Nolite dubitare quin reducto in Hispani servitutem Belgio, divisa & invarias factiones distracta Germania, Galliaque vel bellis & contentionibus domesticis exhausta, vel consiliorum ac studiorum pugnante inter se varietate distracta, Hispanici nominis terror, atque imperij moles, quasi quidam vastus atq; inevitabilis Oceani æstus ruptis vicinis aggeribus ac repagulis Universum orbem Christianum extremæ cladis, & calamitatum omnium fluctibus brevi tempore sit obruturus, quod quidem si qui tum vel armis, vel alia vi conabuntur prohibere, serò sanè illi sentient, quod in orationis capite diximus, elapsam hanc præclarissimam rei bene gerendæ opportunitatem, nulla neque vi, neque voto redituram, socordiæ ac tarditatis meritas à nobis pœnas reposcere, Hoc ego omen, ut ab universo orbe Christiano, maximè autem a dulcissima mea patria Germania, Dominus avertat: & vos illustrissimi Germaniæ principes, reliquiq; orbis Christiani Reges potentissimi, & Amplissimi Ordines, vestraque omnia consilia atque instituta, spiritu suo sancto ita moderetur, ut quod erit ex usu Reipub. Christianæ, quodq; ad divini nominis gloriam, & populi salutem spectabit, decernatis, statuatis, ac re ipsa exequamini, etiam atque etiam ardentissimis votis, per Christi IESV nomen, exopto atque deprecor.



EXPLI-

EXPLICATIO CONSPIRATIONIS PONTIFICIS, PRINCIPUMVE PONTIFICIORUM IN EVANGELICOS.

CUm benignissimus Deus me ex densissimis tenebris Papatus, ad clarissimam hanc lucem Evangelij sui, & puriorem agnitionem verbi sui mirabiliter evexerit, omnium qui vivunt ingratissimus haberi jure meritoq; possem, si reliquum illud quod mihi superest vitæ, ad ejus sanctissimi nominis gloriam, & ad regni Evangelici utilitatem non dedicarem. Iniquum enim esset & impium à quo vitam & salutem habeo, ei non obsequi & obedire quibuscunque possem rationibus. Nulla verò hoc tempore, (cum nihil aliud præstare valeam) commodior visa est glorificandi Deũ, benefaciendi Ecclesiæ, & declarandi animũ erga religionẽ Evangelicam ratio & occasio, quam detegere & evulgare ea,

quæ Pontificij, hostes jurati & Christi & Evangelij, meditantur ac moliuntur, contra omnes de Evangelio bene sentientes: quæ sanè mihi visa sunt ejus esse generis, quæ non sine summa offensione Dei, & sine summo damno totius Regni Evangelici, taceri & occultari possent. Gravissima enim & perniciosa consilia inierunt Pontificij omnes contra Evangelicam Religionem, & inter se arctissima & impiissima fœdera adeo unanimiter pro oppressione fidelium firmârunt, ac jurârunt, ut non dubitandum sit, multum eos obesse posse Reipub: Evangelicæ, nisi præmoniti & muniti sint illi adversus quos primū rem aggredi statuunt. Scimus quidē Evangelicos optimam causam tueri, Deumq; illis adfuturum, quò Satanæ & Antichristi insultus irritos reddere possint; nihilominus non sunt contemnenda consilia, nec sternendum est fretis tali confidentia, quin credendum est Dei providentia excitari, qui hæc nota faciunt ijs, de quorum vita & salute agitur, quo muniantur adversus hostes insultantes. Quare ut habeant omnes Evangelici Principes ac fideles

omnes

omnes, unde ſibi præcavere poſsint à prodigioſis machinationibus Pontificis Romani, ac præcipuè omnium Pontificiorum, Ego Deo juvante intrepidè & candidè narrabo & evulgabo arcana conſilia, impijſſima fœdera, diabolicas artes & machinas Pontificiorum fœderatorum, contra Religionẽ Evangelicam. Non ſum narraturus trita & vulgaria, quæ ex ore plebis, vel ex ſomno otioſorũ Monachorum collegerim: ſed quæ egomet his auribus ex Pontificis ore, ex Cardinaliũ verbis, & ex Principum Pontificiorum ſcriptis, ſubſcriptionibus, & ſignis hauſi & cognovi. Nec me terret Regum & potentiſſimorũ principum indignatio & ira, quo eorum evulgatione interſi, facile in me concitabuntur. Nam mihi magis metuendus eſt Deus, qui corpus & animam ſimul perdere poteſt, quam illi, qui corpus tantum alioquin mortale & caducum momentaneæ morti etiam & breviſſimis cruciatibus tradere poſſunt. Indignentur, ringant, & ſi Deus illis permiſerit, in me ruant. Ego ad hæc me impulſum & motum à Deo ſentio & agnoſco. Per eos non ſtabo, & illis frementibꝰ

intre-

intrepide eorum proditiones prodam. Audiant ergo quotquot Evangelio ex animo favent, ac audita animo retineant.

Clemens VIII. Pontifex Rom: qui hoc nostro tempore sedet, cum omniũ ferè Principũ Europę animos admirando quodam artificio sibi devinxisset, nolens occasionem ad stabiliendam tyrannidem sibi oportunè oblatam imprudenter negligere, contendit totis viribus sacrum, ut ipsi appellant, fœdus inter Monarchas & Principes pontificios, adversus Regnum Evangelicum, inire & firmare: quod etiam majori ex parte conclusum est. Nam Imperator, Rex Hispaniarũ, Archid: Austriæ, Albertus & Ferdinandus, Duces Bavariæ, Lothringiæ, Sabaudiæ, ac omnes ferè Principes alij Pontificij, Excepto Galliarum Rege, & Magno Duce Hetruriæ, nomen dederunt & subscripserunt dicto fœderi; movetq; Pontifex omnẽ lapidem, ut alios quoq; impellat ad coëundũ, cũ & alijs videatur spem aliquam fecisse. Ejus fœderis multa sunt capita, ut pote, de ratione agendi, de tẽpore, de apparatu, ac de portione quam quisq;

collo-

collocatus est ad bellum sanctum quod machinantur, & moliuntur in Evangelicos. Et in illud omnia capita concidunt, ut omnes prędicti confœderati cunctis viribꝰ contendant ad extirpationē Evangelicę religionis quibuscunq; possint rationibus. IMPERATOR ante annum instabant apud Pontificem, pro pecunijs & auxilijs adversus Turcam, quo posset vel ejus impetꝰ reprimere, vel saltem illū adigere ad honestas conditiones pacis vel diuturnarum induciarum: Promittens rebus cū Turca ex voto compositis, omnes suas vires & copias cōversurū pro Pōtifice adversus Evangelicos, quos ipsi Hæreticos vocant. Pontifex valde favet paci Turcicæ, & hac de causa noluit anno elapso audire Oratores Regis Persarū qui instabant pro generali confœderatione contra Turcam. Conqueri etiam sæpe solet, quod sine fructu totos quadraginta annos bellum gestum sit contra Turcas: quo tēpore minori cum sumptu Ecclesia Romana potuisset authoritatē suam recuperare, in Europa: & ideo cupit inducere Turcam ad petendam pacem, & persuadet Imperatori ut æquas conditiones

ones pacis à Turca accipiat. Anno 1601. Cardinalis à Dieterichstein Episcopus Olomucensis Praga Romam summa cum celeritate se contulit, literasq; à Cæsare habebat ad Pontificem, quibus promittebatur Pontifici executio armata ejus sententiæ, quam Cæsar ante tulerat, pro Pontifice contra Evangelicos in causa bonorum Ecclesiasticorũ, quæ in omnibus locis restitui volebat in usum Ecclesiæ Romanæ ad formam Legatorum, idemq; habiturũ sperabat Pontifex occasionem incipiendi turbas & motus in Germania. Et hac de causa convenerunt, ut dictorum bonorũ major pars distribueretur ijs, qui bellum illud strenuè gessissent. Idem Cardinalis eodẽ tempore nomine Cæsaris, ut ipse jactabat, pollicebatur, quod (dum apparentur necessaria ad bellum apertum) Imperator & Principes Austriaci, erant penitus ejecturi omnes Evangelicos ex locis suis patrimonialibus, ut pote ex Austria, Tirola, Croatia, Carinthia, Styria & similibus, nec non eos idẽ aggressuros in Moravia, Silesia & Bohemia, primùm sine strepitu, si fieri posset, post armis & vi potissimũ peregri-

norum

norũ militũ ex bello Vngarico redeuntiũ. Non enim in hujusmodi fidunt militi Germano: ijsq́; populos illos dedisset depopulandos & expilandos nisi ad Romanam Ecclesiam fuissent cõversi.

Legatus Pontificius qui Pragæ nunc commoratur ante paucos menses scribebat, prædicta omnia magna ex parte esse confecta: ejectosq́; fuisse Evangelicos ex prædictis provincijs: Et Iesuitas permissu Cæsaris occupâsse omnia ferè templa & loca Evangelicorum, non solum in Austria & Carinthia, verum etiam in Silesia & Moravia. Nec non milites Gallos sub signis cujusdam Ringravij conbussisse aliquot pagos Evangelicorum in finib. Bohemiæ: majoresq́; progressus facturos hoc anno, auxilio potissimũ Italorũ, qui in Hungariam à Pontifice in hunc finẽ mittuntur, ut Evangelicos depopulentur & trucident. Promisit etiam Cęsar, se nullas supremas dignitates, post hac sive in politicis, sive in militarib⁹ administrationib⁹ collaturũ ijs, qui notati sunt de hæresi, vel quovis modo favẽt Evangelio, quin & se curaturũ, ut etiam minima officia eripiantur illis Evangelicis,

 qui nunc re-

rerum potiuntur, nisi ad Rom: Ecclesiam fuerint conversi, intra statutum aliquot tẽpus. Et hinc Legatus Pontificius ajebat fieri, ut indies multi nobiles, omniumq; provinciarum Germaniæ abnegato Lutheranismo ad Pontificiam Religionẽ accedant, quibus passim conferunt summa officia & beneficia, quo alij ad Christum abnegandũ incitentur. Persuasi etiam sunt experientia omnium temporũ, ambitionẽ & divitiarum, & honorũ libidinẽ multos seduxisse, qui alioquin videbantur constantissimi. Hac promissione Pontifex erectꝰ in spem maximam, ausus est instantissimè urgere, Imperatorẽ ut nobiles aliquot Evangelicos quos ipse nominabat deponeret, & abdicaret ab officijs & muneribus publicis, quibus tunc in bello & Politia fungebantur. Inter hos nominatim erant Colvitzius, Comes Henricus, Matthæus à Turre, Bohemus, Dominꝰ ab Hoffkirchen, Baronꝰ à Polhaim ab Hodisco à Dernenstorff & similes quibus petebat surrogari aliquot proceres Pontificios & Apostatas: asserebatq; res non posse feliciter procedere contra Turcam, si res bellica admini-

stra-

ſtraretur per Evangelicos, nec ſe velle pati, nec minus eſſe ex dignitate Imperatoris Catholici permittere, paſſim in exercitu Chriſtiano contra infideles, haberi conciones Lutheranas: quas penitus proſcribi petebat: alioqui minitabatur ſe non paſſurũ, ut ex Italia & Hiſpania ulli in futurũ eo mittantur milites, ne provinciæ illæ ad huc integræ inficerentur hæreſi. Dux MERCURII ejus conſilij eſt author ut multos ſibi addictos promoveret ad militaria officia. Et ipſemet ſcripſerat ad Cardinalẽ Aldebrandinũ, ut Pontifici perſvadant hoc eſſe facilimũ Imperatori. Pontifex cogitans hanc eſſe rationẽ tollendi conciones ex Exercitu, & ſternendi iter ad multa in perniciem Evangelicorum, inſtantiſſime idem petijt ab Imperatore, à quo tamẽ nullũ aliud reſponſum tulit, quam exſpectandum eſſe tempus oportunũ & occaſionẽ meliorẽ: interim tamen ſe curaturum, ut idem paulatim fiat, Idem Dux MERCURII ante duos annos, habito de hoc cum prædictis fœderatis conſilio, ſtatuerat tempore hyemis, quo bellum non poteſt geri in Vngaria, diligenter luſtrare totam Germaniam,

& quaſi aliud agens obſervare & annotare loca, ſitus, flumina, anguſtias, fines, exitus, aditus, munitiones ac vires proteſtantiũ Principũ, ac civitatum Evangelicarum, quo felicior excogitari poſſet ratio occupandi & circumveniendi illos in bello præmeditato. Et ego vidi Romæ apud Ducem Huſſianum delineationē locorum Evangelicorũ, factam per Pet: Mathematicum dicti Ducis. Eo adhuc vivente audivi illud idē debere perfici per Ducem Niverſanum, qui affectabat locum dicti Mercurij in bello Vngarico. Cum vidiſſet Pontifex, ſe nō poſſe tam cito impetrare à Cęſare abdicationē prædictorũ Nobiliũ Evangelicorum, novo actu contendebat ab Imperatore, ut ſaltem minorem haberet numerum militum Evangelicorum, ne exercitati fierent in perniciē Eccleſiæ Romanæ, & ne eſſent Catholicis ſuperiores: melius fore, ſi Imperator conſcriberet tantum milites Pōtificios, & ſtipendia ac pecunias exigeret à proteſtantibus: ita brevi futurũ, ut Evangelici uno eodēq; tempore exarmentur & depauperentur, multaq; poſſe inchoari & tentari in perniciē Evangelico

licorum, qui rebus ita ſtantibus ne cogitari quidē poterant, & quo Imperator ad hoc induceretur, accuſabat Evangelicos de cōjuratione cū Turca.

Papa conſiliarios aliquot habet in aula Cæſaris ſibi addictiſſimos, qui ob maxima ſtipendia, & magnas ſpes quibus eos alit, flectunt Imperatorē ad nutum Pontificis, eorumq; opera non ſolum actiones Cæſaris cognoſcit, verum etiam ejus perpenſiones & affectus.

Vrget Pontifex electionem Regis Romanorum. Timet enim ne decedente Imperatore nullo ei ſubſtituto ſucceſſorē aliquis creetur, qui non ſit Pontificius, vel ſaltem minimè infenſus Evangelicis. Et hac de cauſa inſtigat Imperatorem & Electoribus Eccleſiaſticis obnixè commendat Albertum, quem multis nominibus alijs præponi cupit, eò, quia per illum exiſtimat reſtitutum iri debere Religionem Romanam in Belgio & Germania; ac etiam, quia Rex Hiſpaniarum pollicetur omnes copias & vires ſuas contra Turcam & Hæreticos ſi Albertus eligatur.

Orator Regis Hiſpaniarum qui Romæ habitat oſten-

ostentabat literas â Legato ejusdem Regis qui Pragæ est, quibus monebatur, Electorē quondam Evangelicum inclinare ad partes Alberti, multaq; sibi de illo pollicebantur Hispani, tam in negotio Electionis quam in rebus Belgicis. Imperator videtur magis inclinare ad Matthiam, quem tamē Pontifex videtur rejicere, propter quasdam suspitiones adversus illū ortas in causa Religionis, quas ille diluere contendit, cum persecutione Austriaco, Moravica, quibus in locis se admodum severè gerit contra Evangelicos, sperans hac ratione posse sibi conciliare Pontificem & Ecclesiasticos Electores, sed frustra. Volunt enim Albertū, nō quod sit religiosior, sed quod existimant eum futurum potentiorem & minoris facturum principes Evangelicos. Hujus electionis causa multa differuntur contra Evangelicos, quæ statim exequerētur, si de aliquo Austriaco fieret Electio. Veretur enim Imperator ne si palàm hostiliter se gerat, ut à familia sua Principes Evangelici abalienentur. Et hac de causa lactat & mulcet nunc multos, quos voti factus compos procul dubio parvi pendet.

Archi-

Archiepiscopus & ipse Coloniensis litteras dederat ad Cardinalē S. Gregorij, quibus intercedebat pro familia sua Bavarica in negotio dictæ electionis, instabatq; se habere aliquot Electorū vota in suam domū propensa, offerebatq; Pontifici tam suo quam fratris nomine omnes opes & copias ad exaltationē Romanæ Ecclesiæ.

Eodē tēpore Romam secreto accessit nomine Ducis Bavariæ Legatus quidam dictus à Schômberg, unus ex quatuor Equitibus Imperij, qui dicti Bavari nomíne multa egit cū Pontifice & Cardinalibus de modo agendi, ac de captanda occasione ad bellum illud sanctum inchoandū. Idēq; de Electione urgebat, & quo sibi conciliaret gratiam Pontificis, spem maximam faciebat fore, ut ex colloquio illo Ratisbonensi, de quo tunc agebatur aliqui Principes Evangelici converterētur ad Romanam Ecclesiam. Nihilominus Pontifex Rom: non potuit adduci, ut permitteret agi de suo consensu: quin mandaverat Claudio Aquæ vivæ, ut rebus periclitantibus abrumperetur.

Cives aliquot Augustani, inter quos Marcus

VVelser & Georgius Fuggerus, instabant apud Pontificem, ut ab Imperatore impetraretur, expulsio & ejectio Pastorũ Evangelicorum, ex eadẽ civitate Augustana quam hoc, tempore facile fore ajebant, tum quia potentiores & Magistratus essent Pontificij, tum & quia Principes finitimi essent Religionis Romanæ valentissimi. Eorum nomine causam hanc agebat Cardinalis Patavirinus & cum illo prædictus Fuggerus, qui data opera anno elapso Romam se contulerat. unà cum illo erat etiam quidam D. Brandanus, qui illis subministrabat rationes, quibus hoc facilius fieri posset, & jam eo usq; rẽ perduxerat, ut Imperator instante Pontifice assensus sit, ad ejectionem prædictorum Evangelicorum Pastorum, modo fieri posset sine motu & seditione. Quin testatus est apertè, se nihil magis cupere, quam ut idem fieri possit in omnibus civitatibus Imperij.

In congregatione habita Romæ usq; de mense Ianua: 1602. decretũ fuit, annuente etiam Cæsare, ut in omnib9 civitatib9 Imperij collocarentur & alerentur Iesuitæ, quo eorũ opera posset sterni iter ad

ad persecutionē meditatam. Sperant enim artib9 Iesuiticis tantū posse præstare, ut nō sint non habituri fautores in civitatib9 illis alioqui Evangelicis, quorū auxilio sperant facili9 supprimere posse Evangelicos. Quæstio nunc tantū fuit de alimentis. Nam Episcopi Germani cōquerebantur de tenuitate redituum. Sed Pontifex tandē statuit eos alere sumptibus fisci Ecclesiastici, quousq; illis aliter sit prospectum.

Archidux Ferdinand9 Princeps Stiriæ & Carinthiæ nuper conquestus est, cū Pontifice, quod cū ipse ex provincijs suis ejecisset omnes Evangelicos nihilomin9 multos ad huc ibi vivere indulgentiâ Principū Ecclesiasticorū, qui in provincijs illis habebant loca aliquot, ut pote Episcopus Bambergensis & Archiepiscopus Salisburgēsis, qui eos paterentur, ut exciperent. Quare rogabat ut graviter illos compelleret & cogeret ad inchoandam ejectionem prædictorum Evangelicorum: Alioqui minitabatur se usurū Imperio summo, quod prætendit in dictis locis, eoq; ejecturum manu armata etiam invitis dictis Episcopis, Pontifici arrisit.

Interim dum res apparantur ad bellum apertū

adversus Evangelicos, student dicti Pontificij per cuniculos Evangeliũ aggredi: & hoc anno miserunt ad partes Germaniæ. Belgij & Angliæ maximũ numerum seductorum & exploratorũ, quorum opera multi cujuscunq; generis seducuntur & subornantur: qui deinde in civitatibus Evangelicis aluntur sumptibus Pontificis, ut sint usuri ad ea quæ moliuntur. Horũ emissorũ aliquot ante mentem Lipsia transierunt hàbitu mentito, cõtendentes in Prussiam, ubi sperant nidificare posse, ut inferius dicetur. Si taliam exploratorum actiones diligentius observarentur, facile caperentur aliquot, ex quorum memorijs & annotationibus hæc & plura detegerentur.

Ante paucos annos hic Pontifex instituit Romæ duas congregationes sive Senatus, quarũ una dicitur congregatio ad propagationem fidei, altera congregatio sacri fœderis: in quarum singulis sunt novem Cardinales & totidem Consiliarij, qui una cõveniunt singula septimana semel, nihilque agunt, meditantur vel student, quam excogitare, proponere & examinare rationes propagandæ Ty-

dæ Tyrannidis Pontificiæ, & sternendi iter ad persecutiones & carnificinas adversus Evangelicos; nec non aucupandi occasionē inchoandi bellum illud execrandū contra fideles. Ex hac congregatione prodeunt emissarij illi & exploratores, qui singulis annis magno numero mittuntur ad turbandas provincias Evangelicas & ad seducendos fideles. Et deniq; duæ illę congregationes sunt officinæ, in quibus formantur omnia instrumēta, & fabricantur machinæ, proditiones, cōsilia, scelera, & omnia mala contra Evangelicos. Habent autē prædictæ congregationes particularē communicationē cū Iesuitis, & alumnis collegiorū Germanicorū, Anglicorū & Maritimorū. Ex quib9 tanquam ex equo Trojano extrahunt proditores & seductores, quos mittunt, ut dixi, ad omnes provincias Evangelicas. Illi enim omniū judicantur aptissimi ad dolos & proditiones. Nam ob linguas, quas callent, ob mores, affinitates & clientelas quas habent in omnibus provincijs Evangelicis facilè se insimulant & intrudunt in Principum & Nobilium aulas & familiaritatē, & si quos vi-

dent faciles & flexibiles, paulatim promissione & spe bonorum, & dignitatum, & rerum magnarũ, tam nomine Cæsaris quam Pontificis conantur eos allicere & seducere. quod sæpe illis prospere cedit, ut videre est ex Baronibus & Nobilib9, quos nuper subverterunt, nempe Barone de Dermenstorff, & à Danna, ac de multis alijs in Germania omitto quid in Gallia, Anglia, & alijs provincijs.

Magnus sane est eorum numerus, qui singulis dieb9 confluunt Romam ad Christũ abnegandũ. Major est etiam eorũ, qui secretò, domi abjurant, & per dictos emissarios instituuntur ad Idolomaniam pontificiam, ac in patria & civitatibus Germaniæ aluntur, quo possint simulate inter Evangelicos viventes promovere rẽ Pontificiam. Quod faciunt strenuè. Nam dictorũ opera Romæ sciuntur omnia Evangelicorum consilia, dissidia, & affectiones. Pars eorum Apostatarum, qui Romam cõfluunt, qui fere omnes sunt tenujoris fortunæ in Civitate Romana, & in ipsa aula retinetur & alitur, ut sint usui cõtra Evangelicos, qui Romam se conferunt, & ad alia multa, de quib9 inferius dicetur.

Altera pars per diversas Italiæ partes & civitates distribuitur, ad explorandum & observandum, an aliqui Principes vel Nobiles Evangelici ad Italiam accedant: Quos cũ primum detexerunt, quod illis facilimum est, ob Iesuiticam institutionem, quam exacte callēt, statim eos accusant & denunciant, sive Pontifici, sive inquisitionib⁹, prout sunt personę qualitates. Horum exploratorum aliquot Romę cognovi tunc, cum ibi versarer, ante biennium, quos ut vitari possint ab Evangelicis, qui Romam se cōferunt, nominatim recensebo. Horum prim⁹ est Iohannes Hieronim⁹ Fendri, qui cubicula habet locanda ad signum Leonis Albi. Hic cum duobus filijs Germanicam linguam callentibus à Pontifice stipendium habet annuum, ut prodat adventantes Germanos. Secundus est quidam Gerberus ad signum Aquilæ nigræ prope pontem S. Angeli. Tertius sartor quidam Belga in via quam Iuliam vocant. Isti tres propter artes, quas exercent, huc illuc cursitant per hospitia, ad ursum & campanam, ad ensem & similia, ubi solent divertere Germani, & ob lin-

guam

guam & artes quas exercent commodè & dextrè ſe inſinuant in Nobilium, vel ſaltē famulorum & domeſticorum familiaritatē: & pedetentim ex uno aut altero ſigno & argumento facilè detegunt cujus ſint Religionis & Regionis; quo cognita indiſcriminatim eos produnt, ſive ſint Principes, ſive ſint alterius conditionis. Omnes enim prædicti & multi alij in hunc finē ſunt à Pontifice ſtipendiati. Sunt præterea aliquot alij literati apoſtatæ, qui idē præſtant, ſed graviori & ſubtiliori ratione. Iſti enim nō niſi ad magnos viros accedunt & ad eos tantum quos prædictorum ruditas nō potuit dignoſcere. Inter hos eſt quidam Caſpar. Scoppius Bamberg. D. Faber Medicus ad Hoſpitate S. Spiritus Francofortēſis, Iuſtus Calvinus Heidelberg: Iohan. VVartinus Amberg: D. Ioſephus VVurmatienſis, Arnoldus Martinus Allobrogus, Stephanus della Favergia Genovenſis, Antonij Calvini Privignus, Rebellus Gallus qui antea Ducis Boullionei fuit Secretarius, multiq; alij hujus farinæ ex omnibus fere Provincijs Germaniæ. Iſti cum primum intellexerunt aliquē adeſſe Germanū, alicu-

jus no-

nominis, vel cum aliquò honesto famulitio ad illum advolant, ac illis quasi officij causa in gratiam patriæ & gentis exhibent sua studia & officia, seq; rerum memorabiliũ monstratores offerunt, paulatimq; cum illis rebus aulæ Romanæ agunt, & nonnunquam quædam proponunt de moribus & ceremonijs Pontificiorũ, ac si ipsi de Religione Romana malè sentirent, ut hoc colore detegant, quo quisq; pede claudicet. Ab his pessimis Apostatis maximè cavendũ est Romam accedentibus. Nam pauci sũnt qui eorum technas effugiunt, eorumq; relatione & opera multi infimæ sortis homines in carceres sunt intrusi, & ad Christum abnegandum coacti. Cum Nobilibus enim & Principibus Pontifex ob multas causas statuit mitius agi debere; sed nihilominus etiam illis tendit laqueos, contenditq; eos vel seducere, vel aliquo modo occultè è medio tollere.

Prædictorũ Apostatarũ & exploratorũ opera rescivit Pontifex, omnium Principum qui in Italia fuerunt anteactis annis adventum & moram & ab die, quò ingressi Italiam, semper habuerunt,

qui nomine Pōtificis eos ſequerentur, eorūq; actiones & motus obſervarent, non ſanè ut eos caperent vel detinerent. Nam jam experti ſunt illis rationibus non prodeſſe Eccleſiæ Rom: ſed ut eorū affectiones & progreſſiones explorarentur, quo facilius allici & ſeduci poſſent.

Pontifex vel inquiſitores cognito alicujus Principis vel Nobilis Evangelici adventu, ſtatim aliquem virum honeſtum ad hoc inſtructum ad illos ablegat, eiſq; omnia humanitatis officia offert, munuſculumq; aliquod eis exhibet nec non blandis verbis eos excipit, eoſq; bono animo eſſe jubet, interim non omittit per emiſſarios ſuos eos tētare de Religione, contenditq; quibus poteſt humanioribus rationibus, vel eos avertere à Religione Evangelica vel ſaltem ex Italia demittere, melius perſuaſos de moribus Pontificū & de Religione Romana. Hujus rei teſtes eſſe poſſunt Principes VVirtembergici, Anhaltini. Palatini, Neoburgici & Saxonici, qui talibus munuſculis, branditijs & artibus fuerunt tentati, nonnulliq; ex eorū conſiliarijs & præceptoribus acriter expugnati, & maximis

ximis & ſpecioſiſſimis promiſſionibus hõnorũ & dignitatum tentati, ut principes ſuos proderent & averterẽt. Qui verò tenujoris fortunę ſunt, inquiſitorib⁹ tradũtur, ut eos diuturnis carceribus mãcerẽt, vel cruciatib⁹ ad Chriſtũ abnegandũ compellant; vel ſi conſtantes ſunt in veritate Evangelica igne ferro & duris tormentis diſſecent & interficiant. Supra dictorũ Principũ adventu & mora in Italia multa de Principum Evangelicorum inter ſe diſſidijs & de ſtatu Religionis in Germania, & de propenſione populorũ erga Principes, nec non de multorum viribus & conſilijs cognovit Pontifex, quæ ſerendi & fovendi diſcordias & ſimultates inter Principes Evangelicos, machinandique multa in perniciem Evangelij illi ſunt oportuna.

Sperat enim nunc ut ſæpe jactare ſolet, proprijs Evangelicorũ armis tyrannidem propagare & ſtabilire. Quare caveant ſibi Principes Evangelici, diſcantq; fidere minus Principibus Pontificijs, & ſi ſapiunt, abſtineant ab Italia & Roma potiſſimũ, vel cum eo ſunt profecturi, videant quos ſecum habeant, & quibus fidant.

Intellexerat nuper Pontifex partem quandam Prussiæ perventurum ad filiam Marchionis Brandenburgici: & ideo cum Imperatore & Rege Poloniæ tantum egit, ut illustres cunctis viribus sint conaturi, ne ad Brandenburgicum, sed ad Polonum perveniat. Et nuper in alias regiones miserunt Alastores Iesuitas, qui parent iter. Nam ab illa parte cogitant excitare turbas & in hunc finẽ Romæ cunctatur Legatus Polonus.

Tentaverunt prædicti confœderati per Alastores & Emissarios suos subornare Comites Frisiæ, eosq; inducere ad transactionẽ quandam de civitate Embdensi resignanda Imperatori, ne ad ordinũ manus perveniat, & quo haberent Pontificij iter patẽs, & quasi portam apertam, ad turbandos Evangelicorũ progressus in oris, jactabantq́; jam aliquid certi statuisse, ac ad Hispanorũ partes, & Religionẽ Romanam eos Comites attraxisse, apud quos Iesuitas aliquot alebant, qui eos instruerent, ac in officio & Religione sedis Romanę continerent. Sed cum res illis malê cessissent ob vigilantiam ordinũ, nunc alia meditantur remedia; conten-

tenditq́; Pontifex omni bus rationibus excitare lites inter Archiduces Austriaces & Ducem VVirtembergicũ, ob alienationẽ, & cessionẽ factam ab Imperatore de feudo Principatus ejus VVirtembergici, quam nolunt esse ratam debere, in præjudiciũ Ducũ aliorũ Austriacorum, & potissimum eorum, qui tunc erant in pupillari ætate, quos ille excitat & instigat ad petendam restitutionẽ in integrum, & ad arma capienda cõtra VVirtembergicum, sperans bello semel in Germania contra Evangelicos inchoato, posse rẽ persequi, & Pontificiam Idolomaniam instaurare. Student porrò Alastores illi Pontifici ad partes dictarum congregationum Romanensium excitare dissidium inter Electorẽ Palatinum & dictum Ducẽ & VVirtembergicum, ob quædam loca jam multos annos occupata per VVirtembergicum. Quorũ repetitionem per Consiliarios corruptos, & per alios malè feriatos homines conantur persuadere Electori Palatino, cogitantq; hac ratione, addita etiam discordia Religionis, posse ad arma inter se concitari, vel saltem inter eos simultatem alere, ita ut alienentur & disjungantur ne ad

communem defensionem, cum alter eorum invasus fuerit, arma jungant, & alter alteri sit auxilio. Quare sint Principes magis oculati, nec tam faciles præbeant aures disseminatoribus discordiarum inter Evangelicos ipsos. Quædam etiam moliebantur contra Marchionatum Badensem sive Durlacensem, quorũ unus jam videbatur cõvenire cum Pontificijs, egeratq; cum Episcopis Spirensi & Constantiensi de Pontificia Religione restituenda, si modo perveniat ad regimen, quod sperat ob valetudinẽ adversam, qua laborat Durlacensis Marchio; quem dicebant non diu posse esse superstitem, & eo mortuo hunc Pontificium ei successurum, qui auxilio Pontificis, & confœderatorum prædictorum, pollicitus est restitutionem Idolomaniæ Pontificiæ, nec huic negotio deerunt prædicti. Nam nihil unquam prætermittunt, nullamvè occasionem omittunt, modò possent turbare Germaniam.

Archiducis Alberti instigatu & Pontificis authoritate nituntur instigare Imperatorem ac omnes imperij ordines contra provincias Belgij, sivè Bataviæ, prætenduntq; illos occupâsse & indies occupare loca & ditiones Imperij ominanturq; brevi futuras esse formidabiles omnibus Principibus & Regibus, nisi illis occurratur, antequam latius Imperium propagent. Et adeo potuit apud multos vafra & astuta Pontificiorum persvasio, ut speciosis titulis Imperij etiam aliquos

aliquot Evangelicos Principes fascinârint, qui decepti & seducti hac Satanica calliditate, videantur inclinare ad excidium & oppressionem dictarum provinciarum confœderatarum: non animadvertentes, hoc esse subtilissimum Antichristi commentum, & stratagema, quo Evangelium Evangelio committat: & si fieri posset, Regnum Evangelicum Evangelicis armis destruat. Sunt hæc (mihi credite) ejus quam nuper dixi execrandę confœderationis & impiissimorum venenata consilia & scelestissima inventa, palliata nomine & bono Imperij, ad quod nulla ex parte pertinent. Sunt potius consilia hęc opprimendi Batavos contra Imperium, quam pro Imperio, ut quilibet facile videre poterit, si statum Dominationis Hollandiæ, cum Tyrannide Hispanica conferat. Deinde, quis est adeo stupidus & expers sensus, qui nesciat, quo animo semper fuerint, & sint Pontifices Romani in Imperium: cujus amplitudinis & Majestatis semper fuerint æmuli & professi hostes? Quare etiam Pontificijs ipsis Principibus suspecta debent esse omnia consilia, cum de bono Imperij agitur.

Ex eodem fonte sive potius baratro confæderationis prædictæ contra Evangelicos promanârunt bella & motus contra Genevenses & Argentoratenses hoc anno: quæ fuerunt quasi præludia generalis persecutionis, quam meditantur: periculumq; fecerunt his motibus de consilio & viribus Evangelicorum, observaruntque an arma sint juncturi ad communem causam defendendam; unusquisq; separatim res suas sit tentaturus. Præmonueram ante quindecim menses per fideles amicos, tam Genevenses quam Argentoratenses de consilio inter confæderatos Pontificios habito, de illis ex improviso opprimendis & aggrediendis: an crediderint nescio. Me vera & certa, solo Religionis Zelo monuisse, certum est eos jam experientia & eventu doctos cognovisse. Idem futurum de ijs quæ nunc omnibus Principibus Evangelicis scribo, & sincere indico. Nam testis est Deus, quod cognita & tractata narro, nec alio fine, quam Religionis Evangelicæ Zelo.

Non sine astutissimo consilio constituerat eodem tempore aggredi Genevam, & Argentoratenses. Nam his duobus motibus simul excitatis, sperabat ita deterrere & occupare bello Genevensi Helveticos Evangelicos, ne possent esse auxilio Argentoratensibus, prout ante novem annos fuerant. Ac etiam existimabant bello Argentoratensi inchoata, Principes protestantes adeo futuros suspensos & trepidantes, ne paterentur milites ullos ex ditionibus suis auxilio ituros Ordinibus Bataviæ contra Albertum. Audiverunt Principes aliquot Germaniæ opem laturos dictis Batavis, quos avertere cogitaverunt opinione belli contra Argentoratenses. Nec eos fefellit opinio, si res ipsis successisset feliciter ad Genevam. Nec ob id, re infeliciter gesta remittunt animum & spiritus. Decreverunt enim quovis modo ignem accendere in Germania. Et ad hoc etiam intenti sunt Principes externi, ut extinguant flammam adhuc grassantem in eorum provinciis, accendendo ignem in alienis. Et hac ratione habeant suarum provinciarum seditiosi & turbulenti locum, ubi furorem & sanguinarium animum exerceant & expleant. Consilium hoc omnibus temporibus fuit

seges

seges & fons multorum bellorum universo in orbe. Hoc diu usi sunt Pontifices Itali & Reges Hispani, quo jam multis annis domi sunt in pace spectatores bellorum Belgij, Galliæ & Vngariæ quæ ipsi ad prędictum finem excitarunt, inflammârunt, & etiam nunc alunt & fovent.

Generosissimi illi Germani anteactorum seculorum non expectabant, ut quis eos domi conveniret, & in patria adoriretur, sed illis in Italiam in Hispaniam usq; , obviam procedebant. Nondum extincta est in Germanorum animis virtus illa Heroica & divini illi impetus, quibus universum orbem armis domuerunt: Expergescant tantummodo, & fortissima illa pectora & invictum robur exerceant, adversus illos sacrificulos effœminatos & imbecillos, qui quamvis nostra desidia feri ferociant & insultent, non audebunt Germanos in Italia expectare, quorum vultum nec anteactis temporibus sine timore poterant intueri. Germani legant majorum gesta ab omnibus omnium seculorum scriptoribus decantata, discantq; tandem esse Germanos Tyrannorum oppressores, libertatis vindices & mundi domitores: nec patiantur Papam Burdoviculum, & Principes aliquot Papeos imbelles & ociosos adeo petulanter insultare feroci & masculæ genti Germanæ. Constans erat fama, idemq; jactabant Galli ipsi Genevam conscio & permittente Rege Galliarum fuisse à Subaudo tentatem. Nam ex conventione ante duos annos per Cardinalem Aldobrandinum facta, inter Gallum & Subaudum conventum & pactum fuit, Ducem Subaudiæ posse sine offensione regis, ac sine fractione pacis expugnare Genevam, hac tamen lege, ut illa capta, vel demoliretur, vel ita divideretur, ut pars illa quæ est trans Rhodanum versus Galliam spectaret, ad Regem: quæ vero Rhodanum adversus Allobroges, ad Ducem. Multa tunc in illo congressu cum Aldobrandino rerum promisit Galliarum circa receptionem Concilij Tridentini, circa confœderationem prædictam & circa restitutionem Iesuitarum. Quæ quamvis hactenus fuerunt dilata, tamen Cardinalis Dosatus & Regis Legatus fidem faciebant apud Pontificem, omnia suo tempore facturos, testabanturque eum esse propensissimum erga sedem Romanam, nec potuisse hactenus promissum pręstare propter fœdus, quod confirmandum fuit cum Helveticis, & aliquot Principibus Evangelicis: quos offendere videbatur prædictorum executione: eum tamen idem brevi præstiturum. Sed ut verum fatear, ego in ea sum sententia de Rege Galliarum, quam sæpe audivi ex ore Pontificis; nempe Regem esse artificiosum & nulli parti addictum.

Rex Hispaniarum sub contextu obsidionis Algerij in Africa classem instruxit Maritimam in Mediterraneo & Thyrreno mari, nihil ominus egressus est per fretum Herculeum sive contra Hollandos sive contra Anglos. Et hujus Classis expectatione Albertus tam diu cunctatur sub Ostenda. Hujus suæ intentionis argumenta sunt quam plurima: sed unicum valde apparens, quod Classis illa instructa est majori ex parte ex navibus maximis ad fluctus Oceani accomodatis, & littoribus Africæ & Mediterranei parum aptis; ad quæ triremes Galleræ sunt

magis

magis idoneæ, & Carolus v. eis tantum usus est. Sunt & aliæ argumenta ex eorum actis à me observata certiora. Quare caveant sibi ij, ad quos spectat. Nec diu hanc emptionem different, modo possint portum aliquem tutum sibi polliceri, in tractu maris Oceani, quod fortibus viribus contendunt. Dicunt enim rebus suis hoc unicum obstare, quod nullos habeant portus, vel canales capaces numerosæ Classis; quem si occupare aliquando poterunt, jactant se habituros mari & terra copias innumerabiles. Et sane maximus est numerus in Hollandia, Selandia, Frisia, Anglia & Scotia eorum, qui Pontificiorũ partes sequuntur, quiq; sollicitant Principes Pontificios ad arma contra dictas provincias, polliceanturq; omnem operam, si eo appulerint. Et anteactis mensibus Iesuitæ qui personati vivunt, ac missificant in dictis provinciis, scripserant an Claudium Aquarivam, eorum præpositum generalem, numerum Pontificiorum, qui arma ferre possent, esse in solis Bataviæ & Frisiæ provinciis ad 30. millia & ultra: qui etiam erant animati, ut ad omnem occasionem essent parati, sanguinem profundere pro Ecclesia Romana. Illorum literæ lectæ fuerunt in congregatione ad propagationem, ut vocant, fideij, & tanto cum applausu, ut omnes judicarint, eá Classe aliquò appellente, facile maximos excitari posse motus, optimosq; sperandos esse successus pro Catholicis in dictis provinciis, si res Alberto tantum semel feliciter succedant. Et revera Ordines deberent majori severitate horum rebellium compescere petulantiam, ne nimia indulgentia fiant pejores.

Ecclesiastici Germani qui ad Rhenum habitant, ut pote Moguntinus & Coloniensis monebant Pontificem Romanum in Germania passim fieri confœderationes inter Principes Evangelicos: haberiq; frequentes conventus, partim pro tuendo Calvinismo contra Lutheranismum: partim pro Lutheranismo contra Calvinismum: eodemq; hoc tempore magis inter se esse discordes & accensos. Multaq; alia addebant magis particularia de factionibus politicis, & de aliis simultatib9 & odijs utriusq; Religionis ad invicem, ac de dissidijs ejusdem inter sese, una cum aliis etiam affectibus populorum erga Principes, ut inde suspicarentur ac sperarent, brevi eosdem Evangelicos inter se ad arma venturos, & hac occasione posse propagari commodè Religionem Romanam.

Confœderati prædicti ansa arrepta nec laboribus parcunt nec sumptibus quo alantur & augeantur hujusmodi dissidia, contentiones & odia inter Evangelicos. Et quod perniciosum est ac miserè deplorandum, tantum potuerunt sua vafritie & nostra ignavia, ut ad prædicta excitanda & fovenda, utantur etiam Principum & Consiliariorum Evangelicorum nescio an dicam simplicitate an malignitate. Multiq; hoc nostro tempore ita sunt dolis pontificum & artibus aulicorum quorundam fascinati, ut certo certius sibi persvadeant, Monarchas & Principes Pontificios non malè velle Evangelio: & quod magis Pontificem ipsum favere Religioni & cupere pacem, cum nostris etiam hac inani confidentia circumventi, & quasi mortifero pharmaco sopiti altum dormiant somnum ij, qui vigilare deberent super gregem Domini. Quæso Illustrissimi Principes quotquot estis, qui Idolomaniæ Pontificiæ renunciâstis, sanctoq; Evangelio, sive

ſub nomine Lutheri, ſive Calvini, faveris, depoſitis inter vos ſimultatibus & odiis ſi quæ ſunt; in unum ſanctum & verè ſacrum fœdus omnes conveniatis contra hoſtes profeſſos & juratos: Hoſteſq; & inimicos peſſimos credatis eſſe Pontificios quotquot ſunt. Quod ſi non creditis meæ ſimplici narrationi, obſervate quæſo actiones & motus. Facile enim comperietis veriſſima eſſe, quæcunq; hoc ſcripto ſum complexus. In quo non reſpexi quid mihi commodum, ſed quid vobis & univerſo regno Evangelico eſſet ſalutare. Multa etiam omiſi particularia, ne prolixior ſim: Quæ ſi congnovero, vos prædictis ut decet bene uti, non prætermittam addere ad communem Evangelicorum utilitatem. Interim vigilate, vobis cavete, Deoq; gratias agite.



DISCVR-

Discursus Fr: Campanellæ.

DE BELGIO SUB HISPANI POTESTATEM REDIGENDO.

NOn sine causa Catholicus Hispaniæ Rex rebellem suam inferiorem Germaniam relucrari nititur, adeo, ut quod jam tenet, vix tantum aquæ habeat, quantum in eo occupando sanguinis effusum est, neq; tantum lapidum quantum auri impensum est. Adquisitâ enim eâ perfacile erit mundi imperio potiri, cum inde Germaniam & Galliam subjugare, classem Anglicam attenuare, ac reliquos septentrionales populos eneruare, vel saltem se ab ijs securum præstare, res pene sit exigui laboris. Iulius Cæsar hoc probè noverat, qui statim eâdem in suam potentiam redactâ reliqua septentrionalia quasi secura reliquens inde in Angliam trajecit. Neque ulla tam aptè potentia contra classem Anglicam (quæ jamdiu multum damni naui gationi

Indicæ Imperio Hiſpanico intulit) excogitari aut inveniri poterit. Vt pote quę numero naviū, opportunitate portuum, potentiâ urbiū, gentis ferociâ, & rei nauticæ peritiâ nulli ſit ſecūda. Vnde ſperandum eſt fractâ maritimâ Anglorum potentiâ & ſecurâ factâ navigatione Indicâ, Hiſpanum cum Portugalenſibus mundum liberè circumnavigaturum, Colonias deducturū, terras ſubjugaturū, negociationes maximas exerciturum, ac denique quicquid Imperio dignum fuerit, ſibi adquiſiturum. Propterea ſumma ope illum niti opertet illud effectum dare. Quod quamvis hucuſq; factu nimis arduum inventū eſt, propter ignorantiam modi, quo talis populus tractari debeat, nihilominus monſtratis primùm erroribus ab Hiſpano in hac cauſa admiſſis conabor poſtmodū ante oculos ponere regulas ſecundùm quas facilius ſubjugari poterunt poſthac. Populos ſeptentrionalis ſua natura libertatem licentioſam amat, regibus imperium non niſi reſtrictum, idq; cum parva auctoritate conjunctū, concedit. Fœcundus, infrænabilis, & ferꝰ eſt cœlum ac ſolum: frigidū habet,

adeo

adeo ut calor nativus â prędominante frigido ſuppreſſus, non poſſit ſe ſubtiliter movere aut exercere. Succi & ſanguinis plenus, corpore grandis, ſpiritib. vitalib. abundans, robuſtiſſimꝰ, plus Baccho quam Veneri dictus eſt. Cogitationes & conſilia abrupta & propter ingeneratorum vaporũ craſſitiem minùs accurata habet. Deniq; propter ſpirituum vitalium abundantiam parum gravis eſt, ut plurimũ licentię, ſuſpicionibus & ebrietati deditus eſt. Propterea nimia legum ſeverita as aut imperium violentum huic populo nequaquam conveniens. Econtra meridionalium, præſertim Hiſpanorum, nam huic omnino contraria eſt. Dico igitur Belgas libertatem religionis lubentiſſimè amplexos, idq; præcipuè duplici de cauſa. Primũ ut ſoluti legibus Eccleſiæ Romanæ, quæ ad ſobrietatẽ jeiunium, caſtitatẽ &c. invitant, facilius poſſent indulgere Genio: cumq; vehementibꝰ animi paſſionibus agitantur, facile pẽrſuaderi ijs poteſt, ab iſto licentioſo vivendi genere ſe abſtinere non poſſe. Hinc factum eſt, quod tam facile Lutheri & Calvini dogmata approbârint, cum doceant

 homi-

hominem libertatem bene aut malè faciendi non habere, ſed Deum in homine bene aut malè operari. Propterea, inquam, facile credent, in ipſis nō eſſe poſitum, ut bibant minimè, non ſcortentur. SECUNDO ut Papæ & principum (contra quos concionabatur Lutherus) Imperio ſe eximerent: Adeo ut vindicantes ſe in libertatem cōnſcientiæ, abſolutam dominandi licentiam ſibimet ipſis acquiſiverint. Primus igitur in hac cauſa ab Hiſpano admiſſus ERROR fuit hic : Quod Carolus V. Lutherum ex comitijs Auguſtanis vivum dimiſerit, ac quamvis non deſint, qui propter rationem ſtatus hoc à Carolo factum dicant. Sic enim Papa timens creſcentem contra ſe Lutheri authoritatē Caroli partes ſemper erat ſecuturus, opibuſq; ac indulgentijs omnes ejus conatus, quibus ad Monarchiam adſpirabat juvaturus. Dico tamen contra omnem rationē ſtatus hoc factum eſſe. Enervato enim Papatu toti⁹ orbis Chriſtiani vires franguntur, & poſita aut conceſſa hæreſi omnes populi contra legitimum dominū rebellabunt, ſub ſpecie vivendi in libertate conſcientiæ, quemad-

modum

modũ Germaniam tam ſuperiorẽ quàm inferiorem, ejuſdem Caroli provincias feciſſe videmus. Pietas igitur quædam generoſa huic errori cauſam præbuit, cũ putaret Carolus ſe quovis tẽpore invictis ſuis viribus Germaniam ac Proteſtantes devicturũ, & talis animus cauſa fuit rei tam malè geſtæ in Gallia & regno Tuneto occupanda. Servanda igitur Luthero data fides, quamdiu comitijs interfuit: ſed dimiſſ9 in itinere opprimendus erat, & reliqui Proteſtantiũ Principes in ſeminẽ extinguendi. Quod ſi factũ fuiſſet, non poſtmodum ortus fuiſſet Calvinus & alij Hereſiarchæ neq; inferior Germania ſub ſpecie libertatis conſcientiæ vindicandæ, ſe in libertatem dominis vindicâſſet.

ALTER ab Hiſpano in Belgio admiſſus Error fuit hic, quod populum iſtum recalcitrantem & frena excutere volentem, ſevera inquiſitione & inſuetis exactionib9, quas Alban9 impoſuit more Hiſpanico frenare & in ordinẽ redigere voluerit. Ignem accenſum quò magis ſuffocas, tantò magis fervet; Et quid quæſo hoc aliud fuit, ijs nondum armis ſubjugatis, aut â vitimentibus,

quàm

quàm ad desideratam tam conscientiæ quam libertatem dominij instigare, & justam rebellandi causam præbere. Inde nova Reip. forma ibidem nata, & ingenio aut viribus valentes in honore habiti; Illi quod hæresin ipsis maximè arridentē approbârint, propagârint: alteri quod libertatis defensores armatâ manu sese prostiterint. Secuta sunt postea cum Hispanis bella, & Vranij pater & filiūs, quia libertates vindices, gubernatores provinciarum Ducesq; belli declarati sunt. Accedit, quod ijdē imperij cupidi omni modo adnixi sint Calvinianismum inducere contra Papatum qui multò magis discordes Belgas & Hispanos facit, quam climatis corporū aut morū diversitas. Illi albi, grandes, licentiosi, potatores, gulosi, impatientes, indiscreti, sanguinei, liberales. Hi contra nigri, parvi, austeri, sobrij, graves, continentes, patientes, discreti, melancholici, avari & rigidi, denique prorsus dissimiles: adeo ut inter ipsos vix possit conflari mutuꝰ amor aut amicitia, cum nullam penitus habeant convenientiam unitivam, quæ quidem antehac in Religionis & Dominij unitate

con-

consistebat.] Quid restat ergo, sublata utraq; illa nihil certè nisi mutum Vatinianũ odium, & inhumana inimicitia ut putem populo isti vix tam caram propriam vitam quàm servitus Hispanica sit odio. Hispani vicissim Belgas cane pejus & angue oderunt, possunt tamen odium magis dissimulare, sed ubi armis vincunt nihil crudele non exercent. Talia non altiùs considerâsse & usq; adeo longè adfectibus indulsisse pulcherrimis istis Provincijs Regem Hispaniæ privavit. Nec igitur inquisitionis, nec tributi, nec belli ulla facienda erat mentio, imò ne quidem suspicio illorũ mentibus ingeneranda, sed clam Præsidia Hispanica per munitissimas & populosissimas civitates adeo summa celeritate disponenda. Deinde pars major seditiosi & ferocis istius populi alio transferenda sub specie contra aliquem longinquum hostem bellandi. Heresiarchi exstinguendi, sapientes prædicatores catholici ibidẽ nati inducendi, inquisitio sub alio quodam minꝰ suspecto nomine per Episcopos exeq;nda Tributũ deniq; omnino abrogandũ, quò faciliꝰ appareret per

O religio-

religionem Belgarum potius ſalutem, quàm Hiſpani dominium quæri: Præterea Germanis aut Italis, non Hiſpanis quorum natura prorſus diſſimilis eſt, rerum adminiſtratio concedenda eſtat. Imperium enim Hiſpanicum ſeverum eſt & ſtrictum, Belgæ contra liberum & licentioſum amant, ſolos tamen Hiſpanos in præſidijs eſſe voluerim.

Tertius error erat quòd Ducibus Hiſpanis bella adminiſtrata fuerint, qui ſævis verberibus potius quàm lenibus verbis in Imperio utuntur, quo quidem imperandi modo iſti populò nihil alienius: Sperandum tamen erat, ſi ipſe Philippus II. illud iter ſuſcepiſſet, plus potuiſſe efficere quàm quemvis alium, utpote qui ſanguinè Germano oriandus erat, & quanti Auſtriacos fecerint, vel inde ſaltem apparet, quod Matthiam Archiducē qui ipſis præſideret advocârint: eo vero dimiſſo Franciſci Alenzonij Ducem in ejus locū ſubſtituerint, qui cum cuperet abſolut⁹ provinciarū iſtarū dominus fieri, nullo ſolido ejus fundamento vel in religionis unitate, aut amore populi verſus

ſe po-

ſe poſito, Antvverpiam forti manu occupare nix⁹ eſt, ſed cū ſuo dedecore & jactura repulſus cōtracta graviſſima vitam finiens, dominiū quod avidè petijt turpiter amiſit. Ita populus hîc comparatus éſt, quod vi velis conari non efficies, quod dolo aut perſuaſionibus econtra facilime. Margarita Auſtriaca populo Belgico acceptiſſima adminiſtrare iſtus provincias potuit, ſed nō domare propter hæreſeos incrementū, & metū jugi Hiſpanici, quæ duo Principi Vraniæ & ceteris Belgarū capitibus rebellandi & jugū excutiendi occaſionē dedere. Præterea modū optimum ſubjugandi nobis Deus monſtravit cū ſcilicet ipſi inter ſe in religione diſſideant & in ſectas Lutheranorum, Calvinianorū, Zvvinglianorū, Anabaptiſtatū diviſi ſint ut vix ulla domus ſit in qua non de rebus ſpiritualibus diversè ſentiant. Prima pars prudentiæ eſt oblatis occaſionib⁹ bene uti & ſine dubio ſi hanc occaſionē Hiſpan⁹ meliùs conſideráſſet, effeciſſet plura quàm facta ſunt. Diverſitus opinionū cauſa eſt, quod nūquam valde poſſint eſſe unanimes, neq; inter ſe belli ducē aliquem qui foris rē gerat;

eligere: Timentisne talis adquisitis simul viribus & auctoritate alteri sectæ addictos opprimat. Et bellum quod contra ipsos Hispanus gerit unit saltem ad defendendum non ad offendendum. Insuper multa alia mala concurrunt, quæ harum provinciarū subjugationem difficilem reddunt.

Primùm: Quod Hispanos inimicos suos domi lacessat quibus aër, Cælum, solum, & tota temperatura conveniens est. Hispano verò omnino noxia. II. cognitis belli incommodis populus Hispanum mali causam odit, præsertim cum videat tam furere & sævire in ijs locis ubi victoriam obtinet. III. Hispanici Duces militiam ut artem exercet lucri solummodo causa, nec armis decertant ut vincant, sed ut decertent, tantùm, ac inter se mutuo colludant, quisq; semetipsum pontentiorum efficere studens. Nam Comes Mauritius ne auctoritatem suam in istos amittat, omnimodo nititur bellum protrahere, atq; ita pedetentim imperiū invadere, q;madmodū multi alij hæreticorū principes ijsdē artibus idem fecere, & etiamnū efficere conantur, Econtra Hispani nō admodum

dum belli huj9 finem desiderant: Sicut enim continuato bello non solùm ipsorum stipendia indies crescere, verùm etiam auctoritatem sese sibi ipsis majore in Hispania conciliare. Et hoc idem faciunt ferè quod Carolus Spinelli in Allabrurro, cũ Marco Schiarra contra quem armata manu miss9 est. Quid igitur miri, quod tot nũmos in-cassum Philippus II. Effuderit, aut quod populũ illum cõtra se magis exasperaverit, bellicosiores effecerit, ac æmulo suo Mauritio Nassovio tantam auctoritatẽ conciliaverit. Nihil magis unitatẽ hucusq; inter Belgas sua natura satis inter se discordes unitatẽ conservârit, quàm ab Hispano met: ut sa9ne crediderim Hispanis nocere quod contra eos bella gerant, ijs verò multum prodesse. Adfirmant Salustius & S. Augustus Romanos suam libertatẽ & aliorũ defendendo in tantũ crevisse potentiam ut toti mundo imperitarent. Sed quoties quies ab annis totius intestina dissidia nata. Eversa æmula Chartagine liberè sine externi hostis metu Marianæ & Syllanæ partes rep. atterebant donec tandẽ temporibus Cæsaris & Pompeij tota Reip: forma eversa fuit, quis scit an idem casus Belgas maneat,

Certè

Certè qui in ſuo natali ſolo religionem, patriæ libertatem, parentes, conjugem & liberos propulſat, longè fortior eſt eo qui in alieno aliena vi invadere conatur. Nam quos invaſeris niſi prima vice oppreſſeris indies denuo ſeſe reficiunt, & reſtaurant vires; e contrà qui invadunt, omnia ſibi inimica habent, aërem, cœlum, ſolum. Ipſum etiam populum, quem invaſere, propter incommoda quę bella ſecum ferunt, ceteris omnibus longè inimicitiorem. Hannibal ſi victoriam ad Trebiam aut famoſiſſimam iſtam cladem Cannenſem Maherbalis conſilio proſecutus Romam adortus fuiſſet, non dediſſet tempus de reficiendis viribus deliberandi. Similiter Abſalom ſi conſilio Architofelis ſubitò victoriam, quam in manibus habebat proſecutus fuiſſet, Iudæam invaſiſſet. Propterea inquam ut victoriam obtineas, aut primo impetu delendi, aut extra natale ſolum eijciēdi ſunt. Quem admodum Anthæum Lybiæ Regē qui terram ſuam tangens reficiebatur, Hercules à terra ſublevatum in aëre pendulum ſubfocavit, id eſt extra ſuum regnum eductum ſuperavit.

In

In cassum igitur Belgium in Belgio amplius oppugnat Hispanus cum primus impetus frustra fuerit, & hodie duo omnino solidè in hac causa perpendenda & procuranda.

I. Vt inter se discordes sint. II. Vt extra Belgiam belli gerendi causæ eliciantur: Cadmus in Boeotia quam peregrinus ingressus est Imperij Thebani fundamenta jacturus Serpentem id est Boeotorum defensorem occidit deinde dentes, id est, novarum verum desiderium & controversias scholasticas disseminavit, e quibus nati milites in se mutuò arma convertentes usq; adeo sese invicem adtrivere, ut quod reliquum fuit, Cadmum domini loco adsciscens Thebanum imperium fundaverit. Idem censeo in hac causa Hispano faciendum, & meridionales Septentrionem invadentes cum viribus non sufficiant acquisita tueri oportet Cadmi & Iasonis adhiberi, malo tamen Iasonis qui Medeæ, id est, virginum Septentrionalium animum sibi conciliavit. Nam virgines Septentrionales frigidæ naturæ viros meridionales natura calidos amant neq; tantum viri Belgæ Hispanos oderunt, quàm eosdem amant puellæ, II. Ejusdem carminibus serpentem, id est, belli Duces & ministros Evangelij firmissima regni propugnacula occidit. III. Ferocissimis tauris excantatis jugum imposuit, id est, nobiliores & populi primarios auro corruptos viles reddidit. IV. Dentes id est, de religione, doctrina, præeminentia, & discordias seminavit. V. Natis ex isto semente militibus, id est, factionibus Guelforum & Gibellinorum, Lutheranorum & Calvinianorum, sese mutuò adtrivere. Ij verò qui reliqui erant, parci admodum & infirmi Iasoni suam operam præstiterunt, ut aureo, id est, desideratis provincijs potiretur. Hanc fabulam Hispanis exposui ut sciant tandem post tot labores exantlatos, & totamissos milites, quemadmodum & Cadmo ante occisum serpertem accidit, quo postea consilio res sit gerenda. Hisce igitur regulis ante oculos collocatis, & sedulo observatis facilius populum istũ subjugabunt.

I. Catholicus Hisp; Rex aut filius, aut filia Antvverpiam concedant, quo extranei adliciantur & proprij subditi regia præsentia ac auctoritate animentur, quemadmodum Cadmus post multos suorum occisos defensioris serpentis fontem petijt.

2. Omnis belli Hispanici metus ex vicinorum populorum mentibus eradicetur. Belgarum fines ab externa vi propulsentur, ac per aliquot annos ita tranquillè & feliciter vivatur, ut, qui priùs Hispaniæ inimicissimi erant, videntes tam mite & felix eorum dominium, eidem conjungi & incorporari exoptent.

3. Cessent tributa neq; amplius quodquam exigatur quàm quod mensæ regiæ & præsidijs alendis sat sit. Quotannis tamen ab una quaq; provincia tribula-

tribulati loco tot milites exigantur, qui in novum orbem mittendi sunt. Reliqua gens bellicosa regi allicienda est, & contra Hispaniæ inimicos exasperanda, quo tandem maximè, Belgium debilitabitur. Et certè à populo viris militaribus abundat, melius tale tributum quàm nummos exigere, id quod non solùm regi utilius sed & populo magis acceptum & conveniens.

4. Vnaquæq; provincia, certum aliq;m qui Familiæ Austriiacæ dicatus sit hilarissime instituto universali quotannis convivio colat ac vino & epulis nequaquam parcatur, inq; eodem convivio mutuò sese solemniter amplectantur & exosculentur. Nihil magis talem populum unit, quàm hic modus amicitiæ, quod etiam Minoem Legislatorem instituisse legimus.

5. Taceat inquisitio, sed per Episcopos sub alio nomine exerceatur, non tamen tam severè quàm Romæ, aut in Hispania fieri solet, sitq; lingua potius quam gladius istius imperij fundamentum & instrumentum.

6. Indulgentiæ sub nomine cruciatæ à PP. procurentur, quibus liberum sit cibis Paschalibus prohibitis uti; Baccho enim supra modum sunt dediti.

7. Præsidia in locis munitis ex Hispanis constent, sed gubernacula rerum sint penes Episcopos & Ecclesiasticos alios. Veneti & Belgæ destinentur. Quæ quidem unio sive mistio magis accepta isti populo futura, quàm si soli Hispani administrent.

8. E Belgis rebellibus spe boni stipendij viri bellicosissimi ad bella Regis eliciantur, & virgines Hispanis quocunq; modo demum fieri possit, matrimonio conjungantur. Mulier enim maritum amans facile cedit ut supra.

9. Cessante jam bello inter rebellium capita exitanda sunt dissidia, & novæ sectæ instigandæ, quò magis inter inimicos crescat discordia, inter tutos verò concordia.

10. Cum metus ab Hispano hujusq; Belgas unitos tenuerit & quamvis in multis discrepaverint, in hoc uno tamen quod Pontifex sit Antichristus unanimiter consenserint. Sublato belli Hispànici metu, ista quæstio, num Papa sit Antichristus, ante omnia utpote ex qua multa alia pendent discutienda est. Interim reliqui Principaliores religionis articuli sileant & de vocatione quæstio instituatur, quæ novitatem Hæresiæ ipsorum solidissimè evertat.

11. Hæc lex inter disputandum esto, nulla amplius ad Augustinum aut ipsius commenta in Biblia sit provocatio, sed antiquiores patres S. Clemens Romanus, S. Cyprianus, Clemens Alexandrinus, S. Chrisostomus. S. Basilius, citentur, qui hæresin negati liberi arbitrij melius evertunt quàm recentiores. Agatur item quæstio de origine & causa mali in quem scopulum quam plurimi impegere. Nam alij denegârunt, ut Epicurus, alij duos Deos fecere, ut unam causam mali statuerent, ut Manichæus & fortassis etiam Pythagoras. Alij malum sustulere ut Libertini, alij deniq; ut tuerentur Deum omnia fecisse mali & Tyrannidis auctorem eum constituerunt, ut Calvinus. Opinio Reip: perniciosissima ut Cic: & Plato affirmant, quippe quæ libertatem bene aut malè faciendi populo

di populo negat, ac omnes leges & obedientiam tollit. Hæc res altius à Tramontanis considerata eos atheos fecit, ut & Deum negent, nec denuo sub Pontificis Imperium redeant. Agendum igitur est cum rationibus animalibus & Politicis quas vulgus intelligat & vocatio ipsorum in quæstionem imprimis vocanda. Libros enim multiplicare & litem protrahere victoriæ speicies est, ei qui per ineptam sententiam tuetur.

12. Cum Biblia innovare ac patres & in historias in suum sententiam trahere hæretici conentur, linguas Græcam & Hebræam perfectissimè addidicere, laborisi sunt in studijs, & deniq; totus septentrio grammaticale non spirituale contra nos bellum exercet cum tamen omnis linguarum interpretatio à nobis primùm sit petenda, qui Græcos, Hebræos & Lationes superavimus ad Christianismum adduximus, sacerdotio privavimus. Propterea subtiles in Grammaticis cum Hæreticis quæstiones fugiamus quamvis ij sine ulla vincendi spe longissimos libros propalent. Censeo autem populum istum nova quadam arte quam nobis sit magis cognita ab istis Grammaticalibus avertendos. Instituat igitur in suis præcipuis civitatibus Hispanus Scholas lingua Arabiæ, quo possit populus Turcas Moros & Persas convertere. ista enim lingua est qua ij Mahometismum, ut nos latina Christianismum defendunt, unde nobis relictis alium hostem petent. Aperiendæ deinde scholæ Philosophicæ, una Platonica altera Stoica, tertia Telesiana, quæ quidem sectæ plus sapiunt Christianismum quàm Peripatetica, atque ita Philosophicæ altercationes ac dissidia à Theologicis populum istum deflectent. Aperiendæ item Scholæ Mathematicæ & Astronomicæ & magnis præmijs peritiores astronomi alliciendi sunt, ad stellas novi orbis mensurandas & cognoscendas eoque mittendi. Hoc erit Herculem imitari & Anthæum, à terra sua sublevatum suffocari: Et cum Cadme literas in Boetiam adducere. Ita tandem qui hæreses in sacris antehac instituebant, jam facient in Philosophia cum videant majus præmium ab hoc quanti ab illo sperandum esse. Et contra Turcæ religionem se accingent, eoq; magis quod ea etiam in Germaniam irrepere rutatur, quippe quæ cum Calvinianismo summopere consentiat. Deniq, scholæ mechanicæ aperiende in quibus nove instrumenta ad rem nauticam, addirimendos hostium muros, ad ignes artificiales conficiendos concinna ibidem proponenda atq; ita populus iste huic studio intentus, quod ipsorum Genio valde conveniens est quæstiones Theologicas relinquet, & Regi Hispaniæ sese magis addicet, tandemque ejus imperium hodie crudele & exosum postea mite & amabile efficiat.

13. Barones, ceteriq; nobiles ut discordes inter se sint, procurandum quinq; rebus Hispanicis favent præmio & honore munerandi, unde inter se odium & versus Hispanum crescere amorem oportet.

14. Ad navigationem Indiæ Orientalis invitandi sunt Belgæ & procurandum ut Portugalensibus juncti, mare Rubrum ingressi Arabiam & Palæstinam Turcæ damno invadant ita extra patriam eductis minuentur vires, præsertim cum talibus expeditionibus Hispani magis quàm Belge conveniant.

 15. Seminan,

15. Seminanda inter ipsos dissidia ut se mutuo consumant, ut milites ex serpentis dentibus nati fecere, deinde ijs qui reliqui sunt, prout decet, uti oportet. Occidendus tamen est ante omnia, defensor serpens, id est, M. V. P.

16. Belgis millena aureorum millia quotannis pensionis loco danda sunt, ut classe sua indicam Hispani regis classem & Hispaniæ littora ab Angelis secura præstent, Classis autem illius præfecti obsides, filios suos dabunt donec ipsi ab expeditione redeant. Hoc modo incepta semel inter Anglos & Belgas inimicitia facile erit auro corruptis classis præfectis unum aliquẽ ex ijs cousq; deducere ut tandem totam prædictam classem Hispano dedat, ita summa inter nobiles & Reip: capita seminabitur discordia ijq; qui potentiores sunt, ad regem sequendum adlicientur.

Postremò, ubi jam fracti fuerint & infirmi summa utendum celeritate ingens exercitus ipso rege ductore quo magis consternentur ægræ, eò deducendus, & de rei summa priusquam vires recolligant, decertandum. Præterea si dux Hispanus aliquis belli egregius fugam aut rebellionem simularet, ac processu eo usq; in Belgarum favorem insimularet ut exercitum duceret: posset eundem domino suò Regi postea in manus tradere; quemadmodum Zopyrus Dario Babyloniam & Simon Græcis Trojam tradidere. Posset etiã acquisita auctoritate falsis accusationibus eos à quibus timendũ sit, é medio tollere & postmodum facilius, quod intenderat, præstare. Sicut Tarquinius sextus Patri suo Ardeam concessit, sed belli duces egregios & viros insignes adhæc Hispanum habere oportet, non verò qualis fuit Antonius Perez.

Hæc sunt illa quæ Hispano Belgium occupaturo diligentissimè observanda sunt; nec dubito quin si hisce adhæserit longè facilior quàm ante hac futura sit victoria.



DE

DE RATIONE ET VIA REGIONES SEPTENTRIONALES AD CVLTVM SEDIS ROMANAE REDVCENDI:


ITEM

DE CAVSIS, PROPTER QVAS DANIAE SVSPECTA ESSE DEBET REGNORVM POLONIÆ, ET SVETIÆ CONIVNCTIO.

Authore

IONA HENRICSONIO MELDORPIANO DITMARSO.





NEmo est, rerum Italicarum paulo peritior, qui ignoret, summos Pontifices jam à multis annis in eo laborare vehementer, ut regiones Septentrionales, aut saltem aliquam earum partē ad obsequiū, & cultum Sedis Romanæ revocent. Quod desideriū cùm in superioribꝰ Pontificibus ardens sanè fuerit, tamen in Clemente octavo, qui jam rerū potitur, longè ardentissimū esse non dubium est. Constat enim, illum magno studio ad omnia hæc ferri, quibus Pontificatum, suū nobilitari, & nomen suū, tanquam de Sede Romana optimè omniū meriti, consecrari potissimùm immortalitati posse existimat. Accedit, quòd Clemens, Cardinalis etiamnum, ante aliquot annos Germaniam, Bohemiam, & Poloniam peragravit, in Polonia etiam negotia maximi momenti summo cū judicio & dexteritate tractavit: Atque ita facillimum illi fuit exactam

rerum

rerum non Polonicarum modò, ſed etiam Livonicarum, Sueciarũ, & Danicarum notitiam ſibi comparare. Qua de cauſa cum majori & fiducia, & ſpe deinceps propoſitum urſurus, & ſi quid eſt in illo ingenij, ſi quid induſtriæ, ſi quis uſus rerum, (eſſe autem iſta in ipſo maxima, apud omnes conſtat) id omne, & bonam facultatem, & theſaurorum ſuorũ partẽ huic rei impenſurus eſſe videtur: rei, fateor, arduæ, & ſummæ difficultatis, ſed quæ futura ſit ſibimet, ut poeta inquit, pulcherrima merces. Quantum enim reditibus Cameræ Papalis, quantum Cardinalium, & reliquorum aulicorum Romanorũ culinæ denuò Septentrione recuperato, acceſſurũ ſit, facilè colligi poteſt ex immenſo penè numero Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Albatiarum, & monaſteriorum, quæ in illis locis conſpiciuntur. Qua in parte etiam notandum eſt, incolas ditionum Septentrionalium, tanquam ſimpliciores, & minus aſtutos (cujus rei cauſſam humoris & ſanguinis abundantiam eſſe, teſtis eſt Vegetius lib. 1. de re mil. & Ariſtot. lib: 3. Polit. cap. 15.) eo

 faciliùs

facilius emissariorū Romanensium, & præcipuē indulgentiariorum artibus & retibus captos, & ideo piscationem ibi longè uberrimam fuisse. Ergo hic est scopus Pontificum, ut Septentrionē in servitutem denuo redigant: jam videamus, quą ratione & viis eundem assequi conentur.

Iesuitę & reliqui qui in stabilienda cathedra Romana, & in sanandis bestiæ vulneribus ex professo laborant, scribunt, supremam auctoritatem & curam à Christo Petro commissam, duplex mūnus complecti: quorum prius in pascendo grege, posterius in arcendis lupis consistat. Illa Pontificem satisfacere doctrinâ, & administratione sacramentorum vel per se, vel per ministros: huic per excommunicationem, privationem regnorum, & ditionum, deniq; etiam per arma, & bella sacerdotalibus tubis inducta, ut scribit Cardinalis Baronius in præf. Tomi VIII. Annalium Ecclesiasticorum. Ad pascendum itaq; gregem in ditionib9 Septentrionalibus paulatim Iesuitæ in Prussiam Regalem, & in Livoniam introduci cœperunt & paulo pòst in Suetiam: ubi illi brevissi-

vissimo temporis spatio, quid apud Regem Ioannem (cui tanquam egregio Augustanæ Confessionis patrono, David Chytręus historiam ejusdem confessionis non multò antè dedicaverat) effecerint, ex Iohanne Botero Benensi (Canonico Romano) disci potest. Hujus verba ex Italico sermone in Latinum fideliter translata, in tertia parte relationũ universaliũ, l. 1. p. 27. ex editione Vicẽtina an. 93. apud heredes Perini Librarij hęc sunt:

Erico successit Johannes frater, Princeps literatus, & valde bona mente præditus. Hic facilè animadvertebat, quã à ratione omni aliena & quã contraria Evangelio esset hæresis Lutheri. Qua de caussa detestans libros impij illius & ipsius asseclarũ loco eorundẽ legebat Patres antiquos; Sed metu seditionis alicujus & Carolum fratrem suspectũ habens, non aucebat sententiam suã apertè profiteri. Habebat in matrimonio Catharinam filiam Sigismundi, Regis Poloniæ, feminã virtutis, imò sanctitatis & constantiæ incomparabilis Hæc suo exẽplo valde maritũ confirmavit, & aliquam in illo regno conservavit, scintillam. Ioannis enim, quamvis patre hæreticico natus, quãvis in hæresi educatus, quantũvis cõsiliarijs hæreticis stipatus, quantumvis ministrorum hæreticorum opera utens: retinebat tamen propter exemplum & conversationem uxoris, multos ritus Catholicos; observabat quadragesimam: abstinebat ab esu carnis die Veneris: monasterium Vastenæ sartum tectum conservavit veneratus est ossa sanctæ Brigidæ, quæ honoris ergò capsulæ argenteæ includi jussit, ut & ossa sancti Erici, Regis Suetiæ: quæ per manus sacerdotum Catholicorum in templo Upsalensi reponi voluit. Exprobavit sæpius ministris Lutheranis & Calvinianis ignorantiam & impudentiam illorum, instauravit templa ab ijdem destructa; reparavit altare, ex quo panem cœlestem populo distribui puer meminerat. Misit Legatos primùm ad Pium 4. deinde ad Gregorium 13. concessit Reginæ liberum religionis Catholicæ exercitium: permisit ut illa etiam Catholicè educaret Sigismundũ filium: qui postea factus est Rex Poloniæ, & deinde etiam Suetiæ. Obtinuit Catharina à Pontifice aliquot patres societatis Iesu, qui & ipsi consolationi essent, & populum converterent: & Papa Gregorius Regi misit patrem Antonium Possevinũ.

hactenus Poterus. En primitias artium, & seminum

minum Pontificiorum in Septentrione; idq́ue ope Iesuitarum, quos idem Boterus eod. lib. pagina 5. scribit concionibus, disputationibus, declaratione Catechismi, typographijs, sed præcipuè beneficio Scholarum, Collegiorum, Seminariorum (in quibus, sub ipsorum disciplina, plurima & in-numera egregia ingenia educantur) & mille alijs modis, CONVERTERE CORDA PATRVM IN FILIOS. De illis apud Gallos & Belgas tritum est communi sermone proverbium, omnia Collegia Iesuitarum esse totidem arces ac propugnacula Regis Hispaniæ & Papæ: Ita ut facilè æstimari possit, quanto periculo se exponant illi, qui hoc hominū genus intra muros suos recipere, & ita serpentes in sinu fovere non dubitant. Sed sinamus jam Iesuitas strenuè in sua palæstra desudare: & videamus, quomodo illi Pontificē in Septentrionalibus regionibus secundæ duplicis sui muneris parti, quæ circa lupos â grege arcendos versatur, satisfacere posse censeant.

Restabat florentissimū Regnū Daniæ, in quod nullus aditus patebat Iesuitis, & reliquis emissarijs Ro-

rijs Romanis. Qua de caussa hac in parte confugerunt ad illud axioma, (quod ijdē Iesuitæ pro confesso sument) arma quidē in hujusmodi deliberatiōbus ultima esse debere: Sed tamen rectè AD PORTAM VERITATIS PRAEDICATIONI APERIENDAM ADHIBERI. Cum itaque Stephanus Poloniæ Rex post receptam Poloniam, & magnū Moscoviæ Ducē ex tota Livonia expulsū, nominis, & victoriarū suarum famâ totam Europam complevisset: & jam antè primùm in Transsylvaniam, deinde etiam in pleraq; Livoniæ loca Iesuitis (quamvis incolis deprecantibus & refragantibus) introducendis, suæ erga Sedem Romanam fidei, & observantiæ non vulgaria specimina edidisset: descenderūt in eam sententiam, hunc omnium maximè & idoneū & dignū esse, qui Ecclesię Romanæ in ditionibus Septentrionalibus protector, & veluti capitaneus generalis deligeretur. Rationē autem Daniæ invadendæ hanc, quæ sequitur, omniū commodissimam forè existimabant. Constat, Poloniam, & Lithvaniam habere copiosum equitatū, eumq; exercita-

tum,& qui fere triplo minora stipendia, quàm equitatus Germanicus, Belgicus, Gallicus, & Italicus, merere soleat: cui rei argumento est, quòd Rex Stephanus in bello Moscovitico 40. millia equitum, in exercitu suo habuit. Pontificem ergo Regi Stephano partim ex suo, partim ex Hispanico ærario, tantum pecuniæ suppeditare debere, unde 16. millia lectissimorū equitū, & 15. millia peditū Germanorū, Polonorum, & Vngarorū possset conscribere. His copijs instructus Rex & ut eo expeditius agmen esset, assumtis tantùm 6. tormentis muralibus, & 15. campestribus (quæ vocant) sine magno negotio per Pomeraniam, & tractum Megapolensē, in Holsatiam & Iutiam (quæ olim cimbrica Chersonesus dicta fuit) penetrare, & ibi, unde brevissimus in Daniam trajectus est, portum aliquē maximè idoneum occupare posse videbatur.

Eodem tempore sumtu Pontificis, viginti circiter naves, in portu Rigensi, Elbingensi, & Dantiscano, sub alio prætextu instrui, hisque reliquū apparatū tormentorum majorū pulveris, item

globo-

globorum, & omne instrumentū militare imponi volebant: Easque prope Calmarniam cū navibus totidem Ioannis Regis Sueciæ (cum quo maturè, hac de re, agendū Pontifici esset) conjunctas rectà ad fretum Danicum (quod sunt vulgo vocant) cursum dirigere, & classem, ac naves majores regis Daniæ (quarum vix una atque altera armata, reliquæ ut plurimùm ad navigandū imparatæ esse solēt.) Igne injecto cremare, & funditus delere posse existimabant: quo facto, & ita Danis classe, & per consequens omni spe auxiliorum externorum ademptâ, pars earundē naviū in eodē freta inter illas insulas ad subita belli & ad impedienda mutua Iutarum, Selandorum & Scanorum subsidia, subsistere: pars ad littora Iutiæ contendere, & regis Stephani excercitum (cui interim magnum numerum navium onerarium, quarum carinæ planiores, & puppes ac proræ humiliores, & ideò ad trajiciendum equitarum aptissimæ sunt) ex vicinis portubus, & insulis conquirere, & partim etiam ex materia, cujus ibi maxima copia est, novas conficere facillimum erat,

 in Fioni-

in Fioniam, & insulam Zelandiam, totius Regni caput, & Aulæ Regiæ Sedem traijcientē adjuvare debebat: Rex verò Hispaniæ, viginti naves bellicas in Gallicia, Biscaija, & Belgio instructas, & tribus millibus optimorum peditū completas missurus erat: quæ circa idem tempus versùs fretum Danicum, quod Sundt vulgo vocant, cursum dirigerent, & sese cum navibus Polonicis & Sueticis conjungerent, Interim Ioannem Regē Sueciæ tam insignem, Danos, avitos hostes, ulciscendi, & fines suos latissimè proferendi occasionē minimè neglecturum: & terrestres copias in partem Daniæ, quæ inter Sueciam & Norvvegiam interjacet, ducturum: & totum illum tractum fertilissimū Imperio Sueciæ asserturum esse pro certo statuebant. Ab altera parte Rex Stephanus, trajectà in Zelandiam majori parte copiarum, obsidere & oppugnare Croneburgum, unicum totius insulæ propugnaculū, & clavē Daniæ, debebat. De eventu nihil certi affirmari potest: quia ille in Dei manu est: sed hominatus loquendo, non video, qua ratione se hoc casu defendere, & resistere tot

in lo-

in locis tantæ hostiū multitudini Daniæ incolæ potuerint: imò nihil aliud restare potuisse videtur, quàm ut Rex cum tota aula & Regni Senatu in penitiorē Norvvegiam se reciperet. Sed video, hìc obijci posse itineris & expeditionis à finibus Poloniæ usq; in Iutiam & Daniam suscipiendæ longinquitatē, transitus difficultatē, quē nec Pomerani, nec Megapolenses, nec urbes Hansiaticę, nec vicini Principes, Regi Daniæ, consanguinitate, affinitate, & alijs vinculis conjuncti concessissent: tum nomen, vires, auctoritatē Imperij, & Imperatoris: quem partim sponte suà, quippe regi Stephano ob Poloniam Austriacis veluti ex manibus extortam, iratū, partim Imperij dignitatis tuendæ ergò, saltem reditum Polonis interclusurum, & excità totâ Germaniâ, audaciam & temeritatē eorum pro merito ulturum, credibile esset. Adde, Poloniæ regem non nimis pecuniosum, facilè sumptibus tam longinquæ & diuturnæ expeditionis exhauriri: Regem Daniæ, â pecunia, à navibus, à numero & divitijs subditorū & à reliquis rebus ad vim vi repellendam necessarijs optimè

mè paratum, facilè littora & portus defendere & bellum ducere potuisse, donec vel hyems vel alia incommoda, quæ in alieno solo longè à patria belligerantibus plurima & in sperata occurrere solent, Polonos receptui canere coegissent.

Non abs re (fateor) ista omnia dicuntur: sed audiamus, quomodò ijdē triarij Romani, homines sanè sagacissimi, qui totum illud littus Balthicum & Livoniam, Daniam usque diligentissimè & cum magno judicio perlustraverant, singula diluerent. Quod attinet ad itineris longinquitatam: dicebant, æquè magnam, aut etiam majorē distautiam esse ex Polonia majore & minore Polociam, Revaliam, Narvam, Plescoviam usque: in quæ tamen loca exercitus Polonicus sæpius penetrasset, Polociam expugnasset, & Plescoviam ad extrema adegisset. Transitū etiam non adeò difficilē fore dicebant per Pomeraniam & tractū Megapolensem, regiones planas, patentes, & equitatui commodissimas: ubi passim ea pecoris, frumenti, pabuli, ligui, & reliquarū rerū omniū copia præstò futura esset, ut etiam exercitui longè

nu-

numeroſiori, quàm quę ſupra diximꝰ, alẽdo ſufficeret. Nec Pomeranię Princeps Regni Poloniæ Vaſallos tranſitum Regi cum tali exercitatu venienti, nec etiam Megapolitanos Duces denegare auſuros: &, ſi maximè impedire conarentur, tamen vanam ſine viribus iram futuram eſſe. Quo ênim pacto reſiſterent Duci & exercitui veterano, Pomerani & Megapolenſes, quorum diuturnitate pacis, & hanc comitantis otij dulcedine, arma ita hebetata, & rubigine atq; ſitu obducta eſſent, ut in duobus illis Ducatibus ſpatio aliquot menſium vix tres turmæ equitum inexercitatorum & decẽ cohortes peditum tyronum conſcribi poſſent. Præterea nullum eſſe in toto quod ſupra diximus, itinere flumen, quod non vado tranſiri poſſit, ſolò Oderà excepto; cujus tamen trajectu tantum exercitum, tali Duce fretum, & ex improviſo Pomeranis ſupervenientẽ, prohiberi non poſſe, omnes veterum & recentiorum hiſtoriarum & bellorum vel mediocriter peritos, facilè conceſſuros eſſe èxiſtimabant: præſertim cum Rex Stephanus ſoleret in expeditionibus ſecum

cir-

circumvehere pontem compositum ex singulis navibus, quæ deinde tabulatis inter se conjungebantur, ut quoties opus esset separari, curribusq; singulis unà cum tabulatis impositæ, binis jumẽtorum jugis non incommodè in quemcunq; locũ transferri possent: ut auctor est Heydenstenius de Bel. Mosco. lib. 1. pag. 20. Addebant, nullum esse in toto illo tractu propugnaculum, quod non vel salva disciplina militari, à tergo relinqui: vel, si ita videretur, etiam in transitu expugnari ab his copijs nullo negotio posset. Porrò urbes Hansaticas (quæ sunt in illo littore maris Balthici sitæ) nõ verisimile esse hac in re Regi Hispaniæ, Poloniæ, & Sueciæ, impedimento futuras: partim quia res gerenda esset contra Regem Daniæ, intolerabilia portoria in freto Sundt ab Hensaticis contra vetera illorum privilegia exigentem: quorum portoriorum moderationem illis superiores tres illi Reges, priscarum item immunitatum, & privilegiorum restitutionem promittere, & ita in suas partes illas pertrahere possent: partim etiam, qui spes opesque Hansaticorum totæ dependent à mercimonijs,

monijs, quæ in Suecia, Livonia, Prussia & in Hispania exercent, & quibus ijdem Reges illos suo arbitratu privare possunt. Reliquos Principes quod attinet: respondebant, incerta & sine dubio infirma fore horum auxilia: Quia credibile esset, frigidissimos fore in adjuvandis vicinis, qui in rebus proprijs, & in dignitate, & libertate avita conservanda, tam lentos & remissos se gererent: Idq; multis exemplis, recentibus præsertim, luculenter confirmabant. Imperium, dicebant, magni esse nominis umbram: Pontificē porrò & Regem Hispaniæ mille nosse modos Imperatorem (qui ipsorum auxilijs ad bellum Hungaricū & ad alia carere non posset) demulcendi, ut hac in parte conniveret nec impedimentum objiceret ullū his generosis conatibus, ex quib⁹ summa ad Romanam sedē & totam domum Austriacam, cum sede Romana arctissimè conjunctam, utilitas, & eximia laus; ad Danos verò, & ad rebelles Belgij maxima incommoda, immò certissima tandem pernicies esset redundatura. Deinde Imperatorem hoc casu, optimo jure quiescere posse: Quia nihil

hic decederet Imperio, cum illud Dania & Iutia non recognoſcant. Quod ad vires regni Daniæ attinet : Fatebantur, illas non contemnendas & veriſſimum eſſe quod Curtius dicit, nihil tutò in hoſte ſperni & ſecundùm Vegetium lib. 1. de re mil. cap. 2. in omnibus locis & ignavos & ſtrenuos naſci : ſed addebant, Danos in univerſum molliores, & luxu ac voluptatib9 enervatos, & ad res gerendas ineptos eſſe, nec in toto illo regno capitaneũ Danum alicujus nominis, & qui recentiorē belligerandi rationē ac diſciplinam, & vel paucorum millium exercitum regere ac ducere noverit, inveniri. Danos etiam per ſe ſolos finibus ſuis tuendis non ſufficere, ſi quis negaret, illum manifeſtò convinci erroris poſſe, ex belli inter Danos & Suecos ante annos triginta geſti experientià; quo Règis Daniæ copiæ tam terreſtres quàm maritimæ, majore ex parte ex milite Germano conflatę, & tamē communi hominum opinione, niſi Lübecenſes in ſocietatē belli veniſſent, exercitui Regis Sueciæ, ex ſolis Suecis compoſito, impares fuiſſent. Supra autē demonſtratum eſſe; deletâ claſſe

Danicâ

Danicâ & navibus Regis Poloniæ, Sueciæ, & Hispaniæ in toto mari volitantibus, simul etiam Regi Daniæ omnē auxiliorum Germanicorum spem necessariò præcidi: Reditum vero Polonis intercludi non facilè possè, partim propter imbecillitatem eorum per quorum fines transituri erant, ut supra ostensum est; partim etiam quod exercitus recentibus his victorijs inflatus & optima spolia ditissimamq; prædam in patriam ad suas reportandi avidus, ferro sibi viam facile aperturus esse videretur: Præterquam quod etiam Megapolenses & Pomerani hac in parte contineri in metu & officio possent â navibus bellicis Poloniæ, Sueciæ, & Hispaniæ Regum, quas ex Dania in Megapolin, paucarum horarum, & in Pomeraniam etiam brevissimo tēporis spatio appellere militē, nemine fere resistente, longissimo illius littoris Balthici tractu exponere, & igne ac ferro in colarum contumatiam ulcissi posse, apud omnes illorum locorum peritos in confesso esse autumabant. Hyems autē, si forte medio in cursu ingrueret: Tamen illam nullo incommodo affecturam esse, vel naves

 quæ

quę ibi multas tutissimas stationes, & cõplures partus habitura essent; vel copias terrestres, quæ per Zelandiam, Fioniam, Femeriam, dispertiri, & in præsidijs collocari commodissimè possent. Deniq; (quod caput est) Danos appulsum naviũ & copiarũ, quas diximus, trajectum, in Fioniam, Zelandiam ac Scaniam impedire non posse, multis & antiquis & recentibus exẽplis probabant. Nam si Marchio sanctæ Crucis Anno 1582. in insulam Terceram, undequaq; littore salebroso & perpetuis fere rupibus abscissis cinctam, & non naturà tantũ, sed etiam manu egregiè munitam, & præter satis magnũ numerũ incolarũ insuper, milite etiam Gallico & Anglico, cui peritissimi Duces præerant instruitam, vi sibi aditum patefacere potuisset: quanto magis in hac causa de Dania, cujus littora omnia plana, ubi nullũ (excepro Croneburgo) propugnaculum, ubi nulli muniti portus, sed omnia aperta, omnia imparata, omnia à propugnatoribꝰ nuda, idẽ judicandam esse? Præterea allegabant exemplũ Angliæ, insularũ omniũ munitissimæ, & cujus littora ac portus tot

arces

arces et propugnacula, tot millia hominũ armatorum ad minimũ quodque hostis adventantis signũ, maximo numero sub peritissimis ductorib9 confluentium tuentur: Et tamen â plurimis rei militaris ac nauticæ, & locorũ illorum peritis pro certo statui, nisi virtute & industria sua Angeli invincibilẽ illam clasſẽ ex Hispania venientẽ, antequam sese cũ Parmensis classe & copijs conjungeret, disiecissent, prohiberi Hispanos nullo modò potuisse, quin in aliquam insule partẽ, saltẽ per Thamesim, tandẽ penetrarent. Ad summam, concludebant, Danos imperatos, inexercitatos, & securos, ex improviso facilè subjugari posse. Scribere enim Vellejum Paterculũ lib. 2. hist: neminẽ celerius opprimi, quam qui nihil temet: & frequentissimum initium esse calamitatis securitatẽ: itẽ vegetium lib 3. de re milit. cap. 22. necessariò, ampliorẽ securitatẽ, gravi9 solere habere discrimen. Allegant etiam illud, quod est apud Cæs. lib. 5. de bel. Gall. ubi inquid:

Tũ demũ Titurі9, uti qui nihil antè providisset, trepidare, & concursare, cohortesq; disponere: hæc tamẽ ipsa timidè, atq; ut eũ omnia deficere viderẽtur, quod plerumq; ijs accidere consuerit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur.

Porrò

Porrò has copias à Polonis sub alijs prætextib9 veluti occupandæ Moldaviæ, Valachiæ aut Tartarorũ repellendorũ, & similibus cogi, & invadẽdæ Daniç consilia hac ratione facillimè Regi posse. Quod ad ipsum Regẽ Stephanũ attinet: sicut illũ Principẽ prudentẽ, varias fortunæ vices expertũ, & minimè vanũ aut temerariũ esse concedebant: ita rursus illũ singulari quadam animi altitudine ad maxima quæq; & ad nominis immortalitatẽ aspiràsse nihilq; virtuti suæ inviũ judicâsse à nemine negari posse dicebant, Argumento esse, quod potentissimo & prudentissimo Imperat: Maximiliano in controversia de Regno Poloniç sese opponere non dubitâsset: cui tamẽ rebus omnibus ita impar fuisset, ut sola celeritate illũ superrâit. Ergo in Põtificis (à quo jam antè ensẽ consecratũ acceperat, ut Heydenst. p. 86. lib. 3. de bel. Mosc. testatur) gratiam, illũ facilè hanc expeditionẽ suscepturũ fuisse; præsertim in Danum, cui propter subsidia Dantiscanis à Stephano obsidione cinctis missa succènsebat. De viribus verò illius, quantumvis fortassis non nimiũ pecuniosi, quid

Lega-

Legatus ipsius Turcæ, in castris ad Plescoviam judicâsset, ex Heydenstenio lib. 4. de bell. Mosc. pagina 125. dicebant disci posse?

Per frequentissimam (INQVIT IBI ILLE) castrorum partem barbarus ductus, castrorum magnitudinem, equitum, quos obvios habebat, ornatum equorumq; præstantiam, ac universi exercitus speciem admiratus : Faceret Deus, ait, ut isti Principes (Regem ac suum Principem disignans) conjuncti inter se animis essent ; ne orbis quidem terrarum consensus eorum resisteret.

Hactenus Heydenstenius. Addebant, ante annos quadraginta tantam fuisse apud omnes Balthici maris accolas opinionem, de potentia magni Ducis Moscoviæ, ut si quis eo tempore dixisset fore, ut olim Moschi â Polonis Polociâ & Livoniâ ejicerentur, hujusmodi cogitationes in hominem sanum cadere non posse, omnes uno ore adfirmaturi fuerint. Quin etiam Mahometem prudentissimum trium Orientis Imperatorum consiliarium, & in Regem Stephanum non malè animatum, cum de illius instituto intellexisset, favere se conatibus ejus, ad Legatos Polonicos dixisse: faustaque ac felicia ei precari: magnam tamen rem suscipi: magnas esse vires Moscoviticas, neque secundum suum Principem, ullum in orbe terrarum potentiorem eo

Prin-

Principē ſe exiſtimare: Heydenſt. lib. 1. pag. 26. Et tamen conſtare, quam brevi tēporis ſpatio Rex Stephanus illi primum ex Polocia, alijsq; munitiſſimis locis, deinde & vniverſa Livonia expulſo, & in penitiore Moſoviam tanquam relegato, cō-pedes quo minus liberè vagari poſſet, injeciſſet. Fatebantur quidē, Daniam etiam & Iutiam eſſe ſatis populoſam, & ibi magnam contrahi hominum ad arma ferenda idoneorum multitudinē poſſe. Sed ſe ſupra oſtendiſſe, uſum & experientiam ipſis omnino de eſſe: Et ex media experientia deſumptum eſſe, illud vegetij lib. 1. cap. 1. In omni prælio non tam multitudo, & virtus indocta, quam ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. ET EODEM LOCO: In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptiór eſt: rudis & indocta multitudo, expoſita ſemper ad cædem.

Quoniam verò propè facilius acquirere, quam conſervarè; ideò operæ pretium fuerit noſſe quomoda hac victoria utendum, & qua ratione parta tuēda eſſe cenſerent. Rege Daniæ, & Senatu, ac nobilitate Regni in ultimam Norvegiam pulſis, & capto Croneburgo, & Hellinburgo, clavibus freti Danici: Dicebant, reliquum vulgꝰ majore ex

parte

parte servituti mancipandum, & partim ad triremes damnandū, partim in Indiam occidentalem in auri & argenti fodinas deportandum: relictis solis rusticis, qui agras colerent: & in reliquorum locum Colonias ex Gallicia, Biscaija, & agro Artesiano, & ex territorio Dunkerkano, & Gravelingensi deducendas: quę gentes ad artem nauticam non minus, quam Dani & reliqui Septentrionales, idoneæ sint: Omnia bona equitū Danorum, Ducibus & militibus Hispanis, arces verò Cronenburgum & Hellinburgū cum subjacente territorio & imperium illius freti totiusq́; Zelandiæ & Iutiæ, item Scaniæ usq́; ad Elsburgum; Regi Hispaniæ; reliquam partem Scaniæ, & Norvegię (quam universam parvo labore progressu temporis occupari posse statuebant) Regi Sueciæ cedere: Bona omnia Ecclesiastica Episcopis, Abbatibus, Monachis reddi, & Iurisdictionē Ecclesiasticam Papalem in integrum, restitui debere. Iutlandiam Regē Stephanū, (qui in Zelandiam trajecturus magnam partē equitatus & aliquot cohortes peditū, quæ totam regionē interim infestarēt,

& ne ex vicina Holſatia aut Saxonia auxilia Iutis aut Danis ſubminiſtrari, & nequa manus coire, & arma defenſionis ſumere poſſet, impedirent) in reditu totam occupare poſſe, ſine magno labore: quia eundē ibi rerum & hominū, quam in Zelandia conditionē, id eſt, nihil parati, nihil muniti, omnia prona, omnia aperta, omnia obvia reperturus eſſet. Prædam totius Iutiæ & pecuniam, quam ſingula, capita lytri loco ſolututa eſſent, (ad ingētem autē ſummam hanc offenſuram) univerſam militi Polono attribuendam. Regi verò Stephano præter gloriam incomparabilem, quam vel ſolam laborum ſuorū ſatis uberē fructum eſſe viri fortes exiſtimare ſolerent, & præter ſolutionē ſtipendiorū, Regē Hiſpaniæ ex vectigalibus ampliſſimi freti Danici, quotannis centū millia thalerorū: Pontificē vero ex ærario ſuo ſexaginta millia coronatorū itidē quotannis bona fide dependere debere. In Iutia in utraq; littore tam orientali quam occidentali locis idoneis propugnacula extruenda, ad ſubditos in officio continendos, & piratarū Belgarū, Anglorū ac Gallorū inſultus àrcendos. Ad ſtabili-

biliendũ verò dominũ hujus maris,& horũ locorũ, (in quæ ex Frisia, Hollandia,& Flandria paucissimorum dierum spatio supplementa mitti possunt) & ad amicitiam cũ Rege Suetiæ, arctissimo atq; indissolubili modo cõstringẽdam, suadebant. Regi Hispaniæ commodissimũ factu esse, ut ex suis, aut saltẽ ex Caroli Archiducis Austriaci filiab9 unam, Sigismundo Principi Suetiæ in matrimonium (uti etiam compluribus annis pòst evenit) collocaret, & fœdus perpetuum contraheret, cum civitatibus Hansaticis sive Osterlingijs: id quod eò facilius impetratu esse statuebant, quia omnes accolas maris Balthici & urbium Hansaticarum civis jam antè sponte sua auri & lucri Hispanici cupidissimos, tolerabiliorum vectigalium in freto Sundt, & novarum privilegiorũ & immunitatum in Hispania & Portugallia promissione mirè inescari posse, experientia doceret. Etsi autẽ superiora consilia inexpectata Regis Stephani, Groduæ an. 1586. extincti morte aliquo modo discussa fuèrunt: tamen paulò post longè major, conata perficiendi spes. Sigismundo Princ. Suec, in Regẽ Pol. electo affulsit. Cum enim cõplures Regni Poloniæ

Sceptrum ambirent, ut Dux Parmenſis, Ferrarienſis, Princeps Tranſylvaniæ, Erneſtus & Maximilianus, Auſtriæ Archiduces, & alij, quibus omnibus, imprimis verè Auſtriacis, favere Pontificem par erat: tamen ſibi Suevum præ reliquijs omnib9 adjuvandum promovendumque exiſtimavit. Quia verò mirum fortaſſis alicui videri poſſet: Pōtificem, adoleſcentem ſub Tironibus natum, qui unquam ex Suecia â reliquo orbe diviſa pedē extulerat, Italis, hominibus exercitatiſſimis & viris Principibus, togata & bellica virtute ſpectatiſſimis, imò Maximiliano Auſtriaco, Principi ad ſumma nato, Imperatoris filio, Imperatoris fratri, Regis Hiſpaniæ affini, Regis Hiſpaniæ nepoti, ante poſuiſſe; ideò, quam ob cauſam id, & quo fine fecerit, ex Theſauro politico Italicè in octavo An. 1602. edito in diſcurſu de electione novi Reg. Pol: pag. 423. & ſequenti diſcendū eſt. Verba illius loci ex Italico in latinum bona fide traducta hæc ſunt.

Poſito hoc, quod ab omnibus conſtanter aſſeritur, Principem Sueciæ eſſe bonum Catholicum: neſcio, qui alius Rex majori cum Reipub. Christianæ fructu eligi poſſet: qui ſi Moſcoviam ſubjugaret, magnitudine uniti Imperij omnes reliquos Principes, & Regulos Europæ ſuperet. Ab oriente enim verſus occidentem dominaretur toti illi tractui, qui inter mare Caſpium & fines Germaniæ interiacet: & à meridie Septentrionem verſus regnaret, inde à Caucaſo uſq; ad

extrema

extrema maris Scytici littora. Quanto verrò terrori Princeps vicinus adeò magnus, Turcæ, & quanto adjumento rebus Christianorum futurus esset; nemo est, qui non facilè intelligat. Sin autem ab altera parte Princeps Sueciæ, Rex factus, arma converteret in Regem Daniæ, hostem suum hæreditarium: non est dubium, Danum vastis viribus talis Regis resistere non posse: & occupatione regni Daniæ redundatura esset maxima utilitas ad Religionem Catholicam, non tantum propter extirpationem Principis hæretici, & pessimi, (qualis est Rex Daniæ) Verum etiam propter auxilia quæ hinc accipere possent res Catholicorum in Belgio: Cum sit in potestate ejusdem, Regis Daniæ saltem denegando transitum navibus quæ Dantisco frumentum in Belgium transportant, fame Hollandos ac Zelendas enecare, præter magnum numerum hominum & copiam commeatus: qui, si fretum Dani cum esset in manu alicujus Principis Catholici, per mare Balticum posset subministrari, quotiescunque liberet tentare aliquid contra hæreticos, & imprimis contra Reginam Angeliæ. Hactenus ille.

Laudo equidem candorem Romanensium & Iesuitarum: Vah, ut nullis hic ambagibus, nulla circuitione, præter morē suū, utuntur! Magnitudo spei, & dulcedo lucri, quod animo jam devorârunt, has liberas voces ipsis expressit. Nec sane injuria. Nam positis superioribus fundamentis quid aliud essent Septentrionales ditiones, id est, Livonia, Prussia, Suecia, Dania, Norvegia quam publica Pontificis, & Hispanorū armamentaria, fabricæ, navalia, granaria: primū hæreticis, id est, Germanicis, Belgis, Scotis, Anglis; deinde etiam omnib9 qui Monarchiam Hispanicam aversantur, domandis & subjugū mittēdis destinata! Ibi enim immensæ Sylvæ, ilices & quercus ædificandis navibus; procerissimas pinus, aptandis malis, anten-

nisq; affatim suppeditant: ibi æris, ibi ferri, ibi chalybis, ibi argenti venæ: ibi seri, ibi picis, ibi lini copia, conficiendis velis: ibi canabis, nectendis rudẽtibus: ibi ceræ, ibi mellis, ibi omnis generis commeatus: carnis, frumenti, leguminum, piscium, alendis exercitib9 & classib9 incredibilis copia: ibi nautarum, naupegorum, naucleroru, & aliorum hominum ad militiæ sive terrestris sive maritimæ labores & incõmoda perferẽda idoneorum maximus numerus: ita ut verissimè dixerit Ioannes Rex Sueciæ, se bellum aliquod genere centum millib9 thalerorum posse, cui Regẽ Hispaniæ decies centena millia coronatorum impendere oporteret. Ex his omnib9 satis luculenter apparet, quomodo Romanenses & Hispanienses erga Daniæ Regnum sint affecti: nec consilium, aut invadẽdi animum deesse illis. sed solam occasionis maturitatẽ eos exspectare. Apparet etiam hinc, quam periculosa semper Regno Daniæ futura sit, Poloniæ & Sueciæ sub uno eodemq; (Pontificiæ religioni præsertim addicto(Rege conjunctio: & quam nullam Rex, & Senatus Daniæ caussam habeant

ea pro-

ea promovendi & approbandi, qua viam ad huj⁹modi conjunctionē munire possunt. Etsi n. Sigismundum Polon. Reg. bonum, ingenio mansueto, & rerum novarum, ut videtur, parum cupido esse nō negatur: tamen vicissim etiam constat, totum illum à Pontifice, ab Ecclesiasticis & à clericis pēdere. Et cum ipsi ordo velleris aurei, nomine Reg. Hisp. à Com. de Lignij in super. comitijs VVassav: offeret. illū inter cætera jurasse hęc sequen. verba; Se velle bonā amicitiā ac fraternitatē colere cū supremo honestissimi ordinis velleris aurei: Se velle pro virib⁹ in cūbere ad augendā fidē Christianā atq; Catholicā: Similiter intentum esse ad minuendos & delendos infideles & paganos. Qui frater est Regis Hispanię. ille nō potest sincerè amare Regem Daniæ: cujus patrem Hispanici parasiti Principem pessimi ingenij (ut supra ostendi) vocabant. Rex Sueciæ Pontificius, jurans se infideles deleturum, hoc inprimis intelligit de vicinis Danis: quos, ut & reliquos Evangelicos, Turcis pejores esse, Pōtificij palàm loquuntur & scribunt. Hæc autē eo diligentius notanda, & quomodo his consilijs maturè occurri possit, cogitandum, quòd constat, Sixtum V. Pontificem, decies centena millia aureorum, primo Pontificatus sui anno, in Castro S. Angeli recondidisse, cum decreto addito,

ne mi-

ne minimũ hujus thesauri partẽ expẽdi unquam, aut erogari posse, nisi in recuperationẽ terræ sanctæ generali expeditione in Turcam susceptà; aut, si Provincia aliqua Christiana periclitaretur, ne in manus infideliũ aut inimicorũ Ecclesiæ incidat, &c. Iuravit Sixtus, se hæc observaturum, voluitq; successores suos idem juramentum dicere. Tertio deinde Pontificatus sui anno, in eadem arce, & in eundem usum, alia decies centena millia ducatorum seu aureorum reposuit: declarans insuper, inter casus, in quibus tam prior, quam posterior thesaurus posset expendi, etiam intelligendam esse recuperationẽ alicujus regni, ab inimicis sanctę Romanæ Ecclesiæ occupati. His duobus thesauris ter decies centena millia postea adjecit, ita ut in arce hac post obitũ suũ quinq; circiter milliones, (ut vocantur) id est, 5000000. coronatos reliquerit, & hęc omnia videre est apud Cicarellam in vita Pontif: Sixti V. Quis autẽ adeò cæcutit, ut verbis illis, *recuperationem alicujus Regni ab inimicis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ occupati*, apertissimè digitum in Angliam Scotiam, Daniam, Suetiam, intendi non videat? Quid

ergò

ergò faciendum? Quid faciendum ſit, docet ſenſus communis, & natura, quæ bruta etiam animantia omnia illa, quæ ad conſervationē ſui, & ipſorum pertinent, fideliſſima nutrix, docuit. Ante omnia aures claudendæ ſunt Sirenibus, id eſt, exploratoribus Hiſpanicis, qui in Daniam ventitant: inter cæteros Ferdinando lopeſio gubernatori Carpenſi, qui mellitis ſuis verbis Danis conatur imponere; quanquam non dubito ſermonem ejus Latinum (cujus phraſes & floſculos ex Decretalibus, Clementilis, Extra vagantibus, & ex epiſtolis obſcurorum virorum excerpſiſſe videtur) viris doctis, quorū in Dania inter omnes ordines magna copia eſt, ſtomachum interdum, & nauſeam movere. Deinde ſociandi animi, ſocianda conſilia cum illis, (ſi modò ad huc aliquos in iſta fatali præſentium temporū ignavia hæc cura tangit) qui conſcientiæ & patriæ libertatē adverſus communes hoſtes ſtrenuè tuentur atq; propugnant. Neq; hanc in rem profundere neceſſe eſt theſauros Regios, ex Zundij & alijs Regni vectigalibus, ſpatio multorū annorū collectas: res tota

T in

in animorum, & consiliorū sincera conjunctione sita est: quo semel fundamento fideliter jacto, deinde ad repellendos alienę libertatis raptores, ejus summæ, quæ ex piscium Bergæ in Norvegia, & ex boum & equorum, qui ex Dania & Iutia in Germaniam & Galliam educūtur, vectigali percipitur, particulam aliquam decidi suffecerit. Quia etiam periculosum est, omnes suas, & subditorum fortunas, mercenario & extero militi committere, ut experientia & historiæ docent: ideo ad imitationē Reginæ Angliæ, Ordinū Belgij, & quorūdam principum Germaniæ, militē ex Danis scribi, disciplina militari imbui, armis tractandis & signis sequendis, Ducū imperijs naviter exequendis, assuescere, valde è re esset: & si ductores harū rerū periti fortassis desūt, ex Anglia, Hollandia, & Germania accersantur: multi ibi sunt Comites, Barones, Nobiles, hanc artē callentes, quos hac in rę Regno Daniæ, si aliqui ex illis vocentur, diligentē & fidelem operam navaturos dubiū non est. Fructus hujus rei, quæ non magnam pecuniæ summam, laboris tamen aliquid requirit, ex vegetio lib. 3. de re mil. cap: 1. intelligi potest. Qui

Qui desiderat, INQVIT, pacem, præparet bellum: Qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter: Qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu. Nemo provocare, nemo audet offendere quem intelligit superiorem esse pugnaturũ.

Etsi autem non improbandũ est consiliũ Serenissimi Regis Friderici, qui amore publicę tranquillitatis ductus, magno desiderio pacem inter Regem Hispaniæ, & ordines unitarum Provinciarũ Belgij conciliandæ flagravit, & eum ob finẽ etiam ad Parmensẽ ante aliquot annos primarię nobilitatis legatũ misit: tamen Rex optimus non de pace insidijs patente, sed de pace tuta, de pace secura hoc intelligebat, Quam autẽ illi gratiam parasiti & beneficiarij Hispanici referant, & quam parũ honorifice de generosissimo & magnanimo illo Rege, & de tota inclyta nobilitate, & natione Danica sentiant, scribant, loquantur; & ex loco supra ex Thes: polit: Italico allegato, & ex Iohanne Botero liquet. Verba illius part.3. rel. Univ.l.1.p.286. sub finẽ, ex Italico in latinũ bona fide cõversa, hæc sunt:

Cum itaque (INQVIT) populi Daniæ, Norvegiæ, & reliquarum provinciarum quæ illi Coronæ subditæ sunt, sine pastoribus remansissent, sub Rege Lutherano (nempe Christiano) facile fuit illos seducere & pervertere operâ Ioachimi Pomerani, & aliorum impietatis ministrorum. Successit Christiano Fridericus professione & ipse Lutheranus, sed vita Epicureus, qui superioribus annis mortuus est ex crapula & ebrietate, die passionis Dominicæ. Sub illius imperio Dani non tantum omnes reliquas nationes superarunt pravitate Lutherana, & Epicurea: Sed etiam majori studio sese dediderunt Necromantiæ, & artibus magicis, quam litteris, aut artibus liberalibus.

Hactenus Boterus. Quid quæso istó ore impurius cogitari potest? Et tamen in eodem ludo edocti ad nequitiam, eadē fronte, eodē pudore sunt, qui Danos interdum invisunt, maria & montes pollicentur, in os etiam eos laudant; deniq; vectigal freti Danici magna pecuniæ summa locari sibi tanquam publicanis impudentissimè petere non verentur.

Non multo absimilis gratia relata fuit Imperatori Maximiliano II. qui Carolum fratrem in Hispaniam miserat (an. 1568.) ut Regem Philippum ad moderatiora consilia & ad Belgas laxiori freno regendos invitaret, qua de re Ioannis Baptistæ Adriani historici Florentini hist. lib. 20. pagina 1472. & duab, seqq. ex editione Veneta in quarto anno 1587. Verba ex Italicis Latina hæc sunt.

Ostendit Regi Archidux, omnes Principes Germanos constituisse Belgio opem ferre, & illud tanquam membrum Imperij (ut ipsi dicerent) ab oppressione Hispanorum liberare: Et hac de causa illos apud imperatorem instare, ut officio sub hac in parte satisfaciens, totis viribus se Regi Hispaniæ opponeret: innuentes, si ille tergiversetur, se hoc facturos, & creaturos Regem Romanorum, ut hanc rem sub hoc titulo, & sub nomine Imperij administrare possint, & sese deinde ulterius progressuros, prout officij sui ratio flagitare videretur. Et exposuit simul Archidux Austriæ, hanc tacitam aliquam fortassis esse contra eminentiam domus Austriacæ conjurationem: Et ad vitandum hujusmodi periculum commodissimum factu esse, avocari, inde militem Hispanum una cum gubernatore omnibus nationibus exoso: privilegia provinciarum illæsa conservari, præsidia & exercitus scribi ex indigenis, veniam dari illis, qui religionem diversam

secuti

secuti essent, aut se pro publicis hostibus gessissent & bona ipsis restitui; deniq; nisi Rex hanc viam ingrederetur, semper quidem illi molestias, nullum vero unquam fructum ex provincijs adeò opulentis & potentibus esse expectandum. Regi Hispaniæ nunquam placuerat hoc consilium Imperatoris, nec etiam Arch. ducis profectio: Multo verò minus ipsi placuit hæc oratio; nec æquum esse putabat, Imperatorem ut Electoribus satisfaceret, sibi molestiam exhibere, qui firmiter apud animum proposuit, suo arbitratu imperare. Qua de caussa primum generaliter respondit, & quid de rei suma statuisset, exponere distulit; id quod eo commodius facere poterat, quia nihil erat, quod festinationem exigeret. Quia eodem tempore literæ à Duce Albano venerant, quibus scribebat, Principem Auraicum in Galliam transijsse, & ideo cessare suspiciones, quas Imperator in Regis animo augere velle existimabatur, proponendo ista eo potissimum tempore, quo res in magnum discrimen adducta videbatur, & exaggerando conatus, & minas Germanorum: Nimirum, ut Duce Albano ab officio remoto, penè necessario, aliquis ex fratribus aut filijs Imperatoris in illius locum substitueretur: à quo consilio (utpotè quod multo antè subodoratus esset) Rex Catholicus planè erat alienus: & ideo responsum distulit, jam hoc, jam aliud negotium interponens: Et interdum etiam se abdebat in monasterium quoddam foribus occlusis, nec vel audire vel loqui volebat de ullo negotio. Nihilominus tamen, elapso aliquo temporis spatio, per brevem schedulam manupropria scriptam declaravit suam hac de re sententiam, dicens: Electores & cæteros Principes Imperij falli, si crederent, Flandriam & reliquas provincias sibi subjectas, habere aliquid commune cum Imperio. Etsi enim pater ipsius Carolus Quintus, qui eorum dominus, idemq; Imperator fuisset, olim Provincias illas adstrinxisset aut auxilia subministranda Imperio, quod vicissim etiam ad reciproca auxilia, necessitate exigente teneretur: tamen hanc obligationem in effectu neutram partem efficaciter hinc inde obstringere. Addebat, quandoquidē Germaniæ Principes subditos suos rebelles favore prosecuti essent, & armis atq; pecunia juvissent, illos excidisse omni jure, quod prætenderent, & omnia illa quæ scrupulis aliquē hac in parte movere possent, cessare respectu religionis, cui omnino & sine omni exceptione vellet adhærere omnes suos subditos præcipuè Belgas: quod majore amore prosequeretur has provincias, tanquā res proprias, quam ipse Imperator addens, se tamen ipsi gratias agere pro animo benevolo, quem ostenderet, & se in omnibus alijs rebus libenter ignoscere, solo Religionis negotio excepto: certo, in eo nihil omnino largiri. Et hoc responsum inscriptis dedit ad petita Archiducis, ex quo liquido apparebat, vanam esse spem, si quam Archidux Carolus, aut alij, ac præfectura Belgij obtinenda & re ibi facienda, & Hispanis inde submovendis, concepissent. Hactenus Historicus Florentinus.

Porrò hoc responsum optandum esset omnibus Principibꝰ & Statibus Germaniæ quàm notissimū

& ſemper ante oculos eſſe, ut eo melius impudentiam Hiſpanorũ hac in parte animadvertere, & maſculè reſpondere his vulpeculis poſſint; quando illis ogganniunt, Ordines Imperij Alberto tanquam Principi Imperij ſuccurrere, & in ditionib⁹, quas adhûc tenet, tanquam membris Imperij, contra Hollandos & Zelandos defendendis illũ juvare teneri: reſpondere, inquam poſſint, auxilium petendum ab alijs, nõ ab Electoribus, Principibus & reliquis Statibus Imperij: quos in ſuperiori reſponſo Rex Philippus adeò ſuperbè contemſit, & veluti feloniæ cujuſdam condemnavit.

Concludo itaq;, valde metuendas eſſe artes & technas Pontificis, tali (qualem dixi) theſauro inſtructi, & adeò ad corrumpendos homines, & ad magnas res gerendas idonei: Cujus breve quidem, ſed inſigne encomium (quia non parum ad propoſitum facere videtur) ex Cicarella in vitis Pontificum adſcribam. Singulare (INQVIT) beneficium eſt, & maxima gratia, quam ſummus ille DEus hodie Reipub. Chriſtianæ totiq; gregi ſancto exhibuit, Principem illi & Paſtorem omni virtutum genere ornatiſſimum, Strenuum & cunctis dotibus ad Pontificatum benè adminiſtrandum, ad populum paſcendum, & à circumſtantibus imminentibusq; calamitatibus liberandum, deniq; ad tranquillitatem pietamq; poſtliminio reducendum neceſſarijs donando. In eo arcem poſuerunt, vitæ integritas, & judicij bonitas; in eo certat magnitudo doctrinæ cum rerum gerendarum felicitate & experientia. Quæ res ſapientum omnium calculo ſingularem & optimum Principem conſtituit. Noſtrum nunc eſt cum devoto pij cordis affectu, divinæ majeſtati ſupplicare, ut hunc Pontificem quam diutiſſime nobis ſervet incolumẽ, & ſanctiſſimos ſuos conceptus, optimaq; propoſita, ad honorẽ Dei & utilitaẽt Eccleſiæ feliciter exequatur Qui ſint hi ſanctiſſimi animi conceptus, quæ ſint optima hæc propoſita, ſupra oſtenſum fuit: nimirum, conſilia de freto Daniæ occupando, de Sueciæ & Poloniæ regnis conjungendis, & de Hollandis, Anglis, & reliquis hæreticis delendis. Porrò verbis opus non eſt, ubi